






600005221G



L. ANNAEI SENECAE

MEDEA ET TROADES



CUM

ANNOTATIONIBUS I. FR. GRONOVII

E MUSEO FRATRIS

FRID. CHRIST. MATTHIAE

NUNC PRIMUM EDIDIT

AUG. MATTHIAE.

LIPSIAE 1828

SUMTIBUS FRID. CHRIST. GUIL. VOGEL.

PRAEFATIO.

Has I. Fr. Gronovii in duas Senecae tragoedias annotationes ipsius auctoris manu scriptas frater ex auctione librorum Laur. Santenii, si recte memini, sibi comparaverat, easque tanti faciebat, ut edere constitueret, etiam ut, si quid ipsi accidisset, parvulus filius haberet, quo in studiorum aliquando instituendorum cursu adiuvaretur. Eo anno 1822 die 21. m. Martii immatura morte exstincto a me petitum est, ut harum annotationum edendarum curam susciperem; de quo recusare et mortui voluntatem aspernari religioni habebam; nec consilium mutavi, quum, libro allato, annotationes summi viri tanto nomine vix dignas esse intellexi. Nec tamen iniucundum fore spero, quantum Gronovius anni 1641 distet ab eo, quem se in omnibus Senecae tragoediis edendis anno 1661 praestitit, cognoscere.

Annotationes, ut supra commemoravi, ipsius Io. Frid. manu accuratissime scriptae sunt. Ad

proloquium Medeae ab eodem in margine notatum: *Coepi conscribere anno* 1641 *Decembr.* 18. in fine: *Absolvi per Dei gratiam publice tradendo Iulii* 8. *anno* 1641. *Iterum publice traditam absolvi anno* 1652. *Maii* XI. Ad proloquium Troadis: *Conscribere coepi anno* 1642. *Iunii* XV. *Iterum proponere publice coepi anno* MDCLIV. *Aprilis* 27. et in fine: *Absolvi per Dei gratiam Anno* 1642. *Septemb.* 13. *Iterum anno* 1654. *Novemb.* 16.

Ad has annotationes a fratre nihil quidquam additum erat; nec ipse quidquam addere vel potui vel volui: nam nec otii satis suppetebat, et haec iis, qui ipsi errores et agnoscerent et emendarent, edita volui. Ser. Altenburgi m. Octobr. 1827.

AUG. MATTHIAE.

L. ANNAEI SENECAE

M E D E A.

PROLOQUIUM

IN MEDEAM SENECAE.

Ornatissimi Doctissimique auditores. Vetus verbum est: Iucundum nihil, quod non reficit varietas. Quae cum caeteris in rebus grata est, tum in literarum tractatione non exiguum sui usum praebet, praesertim si ita sit comparata, ut utilitatem, cuius potissima habenda est ratio, non impediat. Quinimo habet ista adiunctam suam quandam certam et evidentem utilitatem loco adhibita varietas, quippe quae tollat fastidium et satietati occurrat. Quare ne nobis quidem eam negligendam in habendis lectionibus nostris publicis censuimus. Tradidimus enim hactenus, quod iis constat, qui nobis operam dederunt, varii generis scriptores tam graecos, quam latinos, nec minus sacros, quam profanos, historicos, oratores, poëtas, eorumque epicos, tragicos, lyricos. Cum autem hoc primum

tempore Tragoediam latinam in Auditorium nostrum inferamus, operae pretium facere videor, si de omni Poëtarum genere, ac postea de Tragoediis ac Tragicis aliquid in medium afferam, ut, quod de huiuscemodi scripti et scriptoris genere sentiendum sit, liquido constet.

Poëma igitur, ut cuivis liquet (vid. Praefat. in Sophocl.). Ad Tragoediam quod attinet, eam rem esse antiquam constat ex historia. Ad Thesei namque sepulcrum certasse Tragicos legimus. Ea differt a Comoedia tribus rebus: Personarum conditione, fortunarum negotiorumque qualitate, et exitu. Quamobrem stylo quoque differat, necesse est. In illa e pagis sumti Chremetes, Davi, Thaides, loco humili, initia turbatiuscula, fines laeti, sermo de medio sumtus. In Tragoedia Reges, Principes, ex urbibus, arcibus, castris, principia sedatiora, exitus horribiles: Oratio gravis, culta, a vulgi dictione aversa, tota facies anxia, metus, minae, exilia, mortes. Nomen traxisse putatur ab hirco, quasi τράγου ᾠδή, vel quod hircus, graece τράγος, victori daretur: unde Horatius:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum:

vel quod praemium esset uter hirci musto plenus, vel quia in eius numinis honorem ageretur eiusmodi fabula, cuius victima esset hircus, quo donati victores rem illi divinam facere sunt soliti. Alii

dictam volunt Tragoediam a voce *τρύξ*, quo nomine olim vinum designabatur. Primam enim agi coeptam vindemiarum tempore memoriae proditum est, unde occasio data Grammaticis, ut *παρὰ τὸ τρύγημα* nomen ducerent, et ita vocarent quasi *τρυγῳδίαν*. Qui primus exhibuerit Tragoediam, haud ita pro comperto habetur. Satis constat a Thespi Poëta factam nitidiorem, qui primus pensiles scenas in plaustris circumegit, addiditque nudis oribus fecem pro persona. Unde est illud Horatii:

Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque, peruncti fecibus ora.

Atque ab hisce fecibus vinareis alii Tragoediae nomen deductum maluere. Id nempe significat *τρύξ*, quemadmodum *τρύγημα* vindemiam. Alii Tragoediam sic dictam putant, quod *τραχείας ᾠδάς*, hoc est asperos cantus habeat. Nam Tragoedia in exprimendis Regum calamitatibus potissime versatur, quae tametsi prius res secundas etiam haberet, tamen in terrorem et commiserationem se totam intendit, nisi principum calamitates et infortunia complecti noluit. Hinc quondam Euripides a rege Archelao rogatus, ut de se Tragoediam scriberet, abnuisse dicitur, ac deos precatus, ne ipsi regi aliquid accideret, quod esset proprium

Tragoediae. Hinc nonnulli Tragoediam definiunt heroicae fortunae in malis comprehensionem. Eius dictio tota gravis est, ornata figuris, plena sententiis: quae metrum Iambicum sibi aptavit, quod alternis sermonibus maxime idoneum esset, ac natum, ut Horatius loquitur, rebus agendis. A Iulio Scaligero ita definitur, quod sit imitatio per actiones illustris fortunae, exitu infelici, oratione gravi metrica.

TRAGOEDIAE SPECIES.

A loco duae sunt: graeca et latina, qualis extat Nero Senecae: ab argumentorum vero generibus diversae sunt. Nam Callias Atheniensis, qui maior natu, quam Strattis fuit, tragoediam fecit, quam Grammaticam nominavit, propterea quod e literis et sonum ducebat et argumentum. Nam Chorus nihil aliud, quam saltatio fuit ex nominibus et sonis et temporibus et rhythmis elementorum. Alia species continet satyros mistos heroibus, ita ut etiam severis hilariora misceantur. Festivitates porro, in quibus tragoediae agebantur, erant quatuor, ac proinde τετραλογία satyrica dicta fuit. In tribus tragoediae solis dabantur, Dionysiis, Lenaeis, Panathenaicis. Quarta satyricae Tragoediae χύτρις (χύτροις?).

PARTES.

Tragoediae, quemadmodum et Comoediae partes aliae sunt primariae, aliae accessoriae, aliae attinentes. Verae et primariae sunt quatuor: Protasis, Epitasis, Catastasis, Catastrophe. Harum partium communes portiones Actus dicuntur, quanquam nec penitus, nec semper. Actuum portiones minores sunt, quas Scenas vocant. Atque hae sunt partes verae et legitimae. Accessoriae partes sunt: Argumentum, Prologus, Chorus, Mimus. Attinentes sunt, quas Philosophi circumstantes nominant: Titulus, Modi, Cantus, Thymele sive Saltatio, Apparatus. Ubi tamen hoc notandum est, habere quidem Tragoediam Chorum, sed loco Mimi Satyrum, Cantum quoque communem cum Comoedia partem habet, et Titulum cum saltatione et apparatu. Atque haec de Tragoedia, eius speciebus et partibus hoc tempore attulisse sufficiat; superest, ut de Tragicis etiam aliquid dicamus.

Tragici olim multi fuerunt. Volumnius quidem Tuscas tragoedias composuit. Latini tragoediographi a plerisque nominantur Livius Andronicus, L. Attius, Ennius, Pacuvius, Varro, Iunius Gracchus (de quo tamen non est omnino certum tragoediasne quoque composuerit), Iul. Caesar, Q. Cicero, Octavius Augustus, M. Attilius, Asinius

Pollio, M. Aemilius Scaurus, L. Varius, Ovidius, C. Mecaenas, Cassius Severus Parmensis, M. Annaeus Lucanus, Pomponius Secundus et (ut omittam Varronem quendam et Bassum, quorum unum laudat, alterum Martialis ridet) Seneca, qui solus effecit, ne nullum Tragoediographum latinum haberemus.

Melius actum cum Graecis, qui et tres Tragicos retinuerunt, et eos sine controversia principes: Aeschylum, Sophoclem, Euripidem. Quanquam ne ea quidem felicitas sit offensa. Tot namque in hoc genere Graecorum monumenta interierunt, ut plane ambigant viri docti, gratulari potius reipublicae literariae ob illos, quos dixi, Graecos conservatos, an deplorare tot tragicorum, quot modo referam, interitum debeant. Graeci olim tragoediographi fuerunt Thespis, Dicaeogenes, duo Diogenes, Cynicus unus et alter Oenomaus, Bion, Alexander Pleuronius, Demologus, Euphorion, Euripides, eius, quem habemus, patruus, Theognis, non Megarensis, sed ab eo alter tragicus haud magni pretii, Iophon frater Sophoclis, Philoxenus, Callimachus Iunior, cuius inter libellos octingentos tragoediae etiam aliquot non malae nominantur; Carcini duo, quorum alter Agrigentinus, Atheniensis civis alter, Cephisodorus, Crates, Cleophon, Dionysiades Mallotes, Lycophron, Melitus, Socratis ille accusator

perfidus, Nicomachus Atheniensis et Nicomachus Alexandrinus, Epigenes Sicyonius, Pindarus non Scopelini, sed iuxta veraciores vel Daiphanti vel Pagonidae filius: Pratinas Phliasius, Sacas, Rhinton Tarentinus, Alcimedes Megarensis, Simonides Leoprepis, qui cum alia multa tum tragoedias et aliquot composuit, Sositheus et Sosicles, ambo Syracusani, ambo Dorica dialecto in Tragoediis usi, Timesitheus, cuius tredecim tragoediarum meminerunt scriptores, Philiscus Corcyraeus, cuius sunt tragoediae duo et quadraginta, quique est alius a Philisco Aeginensi et ipso tragico; Philocles sive Philo Soles Polypithis filius, Morsinus, Philoclis istius filius, Philostratus Lemnius, a quo tragoediae plus minus quadraginta tribus sunt scriptae: Phrynichi duo, unus Polyphradmonis, alter Melanthae filius; Chaerillus Atheniensis, cui quinquaginta supra centum tragoediae a grammaticis tribuuntur, Alcaeus, Ephippus, Epicharmus, Amphes, Silanion, Xenocles Atheniensis, Dionysides Alexandrinus. Praeter hos et alios nonnullos invenio hanc Poëtices partem magno studio excoluisse, veluti Astydamantes duos, maiorem Morsini filium, Philoclis nepotem, qui cum tragoedias ducentas quinquaginta composuisset, vicit quindecim tantummodo, ac minorem huius filium, cuius fabulae praecipuae fuerunt Palamedes, Her-

cules Satyricus et Epigoni. Invenio praeterea Aristarchum Tegeatem, Anaxandridem Leonteum, quem Amaranthus in libro περὶ σκηνῆς testatur Iubae Regis familiarem fuisse; Diodorum, Achaeum Eretriensem, qui secundum nonnullos tragoedias edidit 44, Achaeum Syracusanum, cuius tragoediae decem commemorantur, Euphantum Olynthium, Aristonem, Anaximandrum, Neophronem Sicyonium, Aristonymum, Artabazem, teste Appiano et Plutarcho, Armeniae Regem, Lysippum, Autocratem, Heraclidem Ponticum, Arionem, Agathonem, Lucianum Pasiphentem, Apollodorum Tarsensem, Hipparchiam Metroclis sororem, Timones duos, Herillum, Alcestidem, Theopompum, Ionem, Theodectem, Homerum Iuniorem Andromachi filium, Empedoclem (si Neanthis vera est opinio. Nam Heraclides, Serapionis filius, teste Diogene Laertio, tragoedias, quae Empedocli tribuuntur, alterius fuisse censet) et Ezechielum quendam, quem Iudaica graecis fabulis comprehendisse Clemens Alexandrinus refert. Sozomenus tradit, Apollinarem Syrum sacras res tragoediis inclusisse, iisque Euripidem fuisse imitatum. A Petro Bembo tragoediae Nazianzeni fit mentio, quae extat etiamnum hodie. Postremo Iulius Pollux citat quendam Dionem tragicum ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ συνεκδημητικῷ. Atque horum Tragoedio-

graphorum nomina ita prolata sunt, quemadmodum in Graecorum commentariis scripta reperiuntur. Illud constat, eorum, exceptis paucis quibusdam fragmentis, nihil non periisse, quae iactura graecarum literarum felicitatem multum funestat. Huc accedit, quod tres illi, Aeschylus, Sophocles et Euripides mutili et male tractati ad nos pervenerint, ut vix illi ipsi, si reviviscerent, hos suos foetus agnoscere possint. Ipsius praeterea Euripidis, ut de Aeschylo et Sophocle taceam, longe interierunt plura, quam reliqua sunt. Supersunt, nisi me fallit memoria, fabulae omnino decem et octo (Rhaesus enim Euripidis non est), eorum autem quae perierunt longe maiorem esse numerum tam certum est, quam quod certissimum. Nam Terentius Varro prodidit, tragoedias illum 75 scripsisse. Sed ut ad Senecam tandem revertamur, dubitant viri docti, utri Senecae Marcone an Lucio Tragoediarum scriptio sit tribuenda. Petrarcha censet, Philosophum Neronis praeceptorem Tragoediarum autorem esse. Ioanni Boccatio verisimilius videtur, non illum, sed vel illius fratrem secundum quosdam, vel iuxta alios filium, vel ex fratre nepotem fuisse, quod et plerique existimarunt. Petrarchae ne assentiamur, tragoedia penultima, cui nomen Octavia, facit. Neque enim Philosophus Seneca se ipsum in ea tragoedia

loquentem introduxisset, neque tam libere Neronis vitia perstrinxisset. Atque haec hactenus. Superest ut de nomine, maioribus, fratribus, uxoribus et liberis, de iuventute, de vita eius sub Imperatoribus acta, de honoribus, de gestis sub Imperatore Nerone, de habitu corporis et morbis, de religione et moribus, ac denique de morte eius paucis agamus.

Ad nomen igitur Tragoediographi nostri quod attinet, dictus fuit L. Annaeus Seneca. Lucios vel a Lucumonibus Hetruscis, vel quod initio lucis nati erant, appellatos, Valerius Maximus lib. 10. et Sextus Pompeius scribunt. Annaeam familiam Hispaniensem fuisse, Cordubensem videlicet et equestrem constat. Vocem Annaeus nonnulli cum diphthongo scribi volunt nixi sententia Terentiani et hoc illius versu:

Annaeus Seneca et Pomponius ante secundus.

Alii simplex *e* retinent, secuti autoritatem antiquorum utriusque Senecae, L. Flori, Lucani, Cornuti exemplarium (in inscriptione librorum Symmachi item et Latini codicis D. Hieronymi, ecclesiasticorum scriptorum, et Lactantii non semel. Senecam Cassiodorus inde dici putat, quod cui primum hoc cognomen impositum, canus sit natus. Ac fieri potuit, ut qui in Annaea gente primus Seneca dictus est, hoc habitu corporis natus sit,

et ita posteris cognomen cesserit, ut de Ciceronibus, Caesaribus, Scipionibus Priscianus lib. 2. prodidit. Nomen Annaei ab annis factum volunt. Hactenus de nomine.

Progredimur ad maiores Senecae, qui, cum ei patria esset Corduba vetus florensque in Hispania Baetica colonia, patrem habuit L. Annaeum Senecam, matrem Elbiam, ut ex inscriptione controversiarum et suasoriarum et lib. de consolatione ad Elbiam colligitur. Igitur natus Cordubae puer inde Romam translatus est decimo quinto aut circiter anno, ut suspicantur viri docti, ante Augusti excessum, argumento ab adolescentia Senecae in Tiberii aevo. Fratres duos habuit, neque ullas sorores. Fratrum unum Gallio honores gessit, alter equestri ordine contentus a magistratu se abstinuit. Puer Romam venit, atque ibi in optimis artibus optimum ingenium adolevit. Adolescentia eius in Tiberii principatum incidit. Fuit autem is annus Tiberii quintus, urbis conditae 772. Ac verisimile est fuisse tunc Senecam annorum 20 aut 22. Nam grandiusculum iam natu sub ipso Augusto fuisse ex eo liquet, quod cometam ante excessum eius observaverit. Praeceptorem in eloquentia habuit ipsum patrem. Tradidit tamen ipse se postea Philosophiae et virtutis studio etsi patre renitente. Nominatim praeceptores praeter patrem habuit

Attalum Stoicum, Sotionem eiusdem sectae, et Papirium Fabianum: sed et Demetrium Cynicum admiratus est et coluit, saepe cum eo iam grandior et iam in Aula domi forisque versatus. Postquam ad virilem aetatem pervenit, causas egit, et magni fieri coepit eius eloquentia, idque sub Caio Caligula, eodem imperante honores eum ambire coepisse tradunt: primo autem imperii Claudii anno functus iam Quaestura in Corsicam pulsus fuit. Exilii causam recensere hoc loco nimis longum foret, cognoscat eam, qui velit, ex Dionis lib. 6., ex quo eandem repetit Xiphilinus in Claudio. Sunt autem qui Senatoria dignitate etiam ante exilium eum floruisse contendant. Post exilium autem Praeturam adiecit et Consulatum. Consul autem fuit extra ordinem creatus una cum Trebellio Maximo. Nec audiendi, qui negant. Nam quod Ausonius in gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem scripsit: Dives Seneca, nec tamen Consul, recte Vinetus de ordinario Consulatu interpretatur.

Adolescentem tradunt in Aegypto fuisse, occasione, quod avunculus praefectus ibi esset, et haec causa, cur pluscula de Aegypto et Nilo curiose libris praesertim quaestionum naturalium inspergat. Creditur etiam ex Aegypto ad Indiae oras ivisse per mare rubrum, atque ita de India commentari voluisse, attestante Plinio. Romae uxo-

rem duxit, primo Harpasten quandam, ut suspicantur, et Paulinam post exilium, nobilem faeminam, quae iam seni nupsit et potenti in aula. Vixit in exilio annos circiter octo, et fortiter, imo, ut ipse ait, feliciter vixit, optimis studiis meditationibusque intentus, in quo etiam scripsisse putatur Medeam, quo tempore Claudius Brittanniam subegit.

Sed ab exilio reversus statim in splendore iterum fuit. Nam prius etiam, quam in aulam perveniret, opes magnas habuit, et de iis egentibus impertivit, quanquam non omnes industriae suae aut fortunae debebat, sed a patre relictas acceperat. At in ipsa aula opes ingentes quaesivit, sive potius venientes ultro admisit, plerasque namque ex Principis munificentia habuit. Nam hortos, villas, agros, foenebrem variis locis pecuniam habuit, atque adeo ut putetur pervenisse ad opes regias.

Ad mores Senecae quod attinet, vita eius tanquam frugalis, seria et severa commendatur; quippe quem aula non corruperit, nec ad familiare et cognatum paene vitium Adulationem flexerit. In eodem deprehensa est accurata morum vitaeque exactio et examen, magnum clarumque virtutis studium, pietas in Deum et submissio tam evidens, ut Tertullianus et prisci Nostrum appellent, con-

cilia ipsa quaedam autoritate eius utantur, atque adeo Otho Frisingensis asserat, L. Senecam non tam Philosophum, quam Christianum dicendum, atque adeo ob has eminentes virtutes etiam illo aevo ingens de eo opinio extiterit, fore, ut imperio destinaretur.

Iam, ut aliquid de corpore, morbis et forma etiam adiiciatur, corpore a pueritia infirmo traditur fuisse, etiam adolescens destillationibus vexatus est, per quas visus ad tabem ire. In extrema aetate corpore fuit sicco et exhausto, sive a morbis sive a studiis, ceterum corpus etsi tenue firmavit exercitiis durioribus, ut cultu agri et fossione vinearum et hortorum.

Veniamus etiam ad scripta, quorum quae extant, cum obvia sint, hoc loco recensere supervacaneum est, enumerabimus tantum ea, quae non extant, quae plura etiam illis putantur. Perierunt igitur primum Versus eius et Poëmata extra Tragoediam, Orationes sive causarum actiones, quas egit multas et illustres, atque in ipso Senatu, praeter illas, quas Principi scripsit in Senatu recitandas. De terrae motu liber, quem iuvenem se scripsisse ipse testatur lib. 6. Nat. Quaest. c. 4. De Matrimonio, Historia aut Compendium. De Superstitione, Dialogi Moralium libri.

Exhortationem libri. Sed non omittendum hoc loco, quod vulgo creditur, Epistolas quasdam esse Senecae ad Apostolum Paulum, de quibus audiendus est Lipsius ita de illis statuens: Quae nunc sunt epistolae, non sunt tanti, imo certum est, eiusdem autoris et Pauli et Senecae illas esse, et compositas a Semidocto in ludibrium nostrum; fuerint aliquae et aliae, sin istae, requiro, inquit Lipsius, iudicium optimorum patrum.

Testimonia et Elogia de L. Annaeo Seneca hoc loco colligere supersedebimus, quod ea diligenter tam ex veteribus, quam recentioribus scriptoribus eruerit et protulerit I. Lipsius initio Senecae a se editi, unde peti ista possunt.

Superest, ut de morte sanctissimi simul et doctissimi viri aliquid referamus. Id autem non commodius videmur facere, quam verbis Corn. Taciti, qui de ea lib. 15. Annal. mihi p. 479. [c. 60 sqq.] in hunc modum tradit: Sequitur caedes etc.

His ita praemissis Medeam ipsam aggredimur, cuius argumentum hoc est:

Repudiata Medea Iason Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam ducit. Medea iussa in exilium proficisci Colchis, unius diei inducias

impetrat. Interea dona diris venenis illita per filios ad Creusam mittit, exornat se iis misella nova nupta, et repente flammis erumpentibus una cum patre, qui accurrebat, filiamque complexus eripere conabatur, cumque ipsa regia incendio absumitur. Medea secum asportatis in domus fastigium filiis, in Iasonis conspectu, crudeliter eos trucidat: et a draconibus mox per aërem Athenas devehitur.

DRAMATIS PERSONAE.

MEDEA.

IASON.

CREON.

NUTRIX.

CHORUS CORINTHIORUM,

NUNTIUS.

L. ANNAEI SENECAE
M E D E A.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Hoc actu iras nutrit Medea, et superos inferosque ad ultionem vocat. Sciendum autem est: Multos esse tam graecorum, quam latinorum, qui Medeas scripserint. Apud Graecos occurrit Eubulus, Strattis et Cantharus, sed horum Medeae comoediae fuerunt. Tragoedias autem inscriptas nomine Medeae composuerunt graece quidem Euripides, cuius tragoediam Seneca hic noster imitatur, Herillus, Diogenes, Philiscus et Demologus: Latine vero Ennius, Attius, Pacuvius, Varro et Ovidius.

MEDEA.

Dî coniugales, tuque genialis tori

v. 1. *Dî coniugales.* Coniugales dicti, teste D. Augustino lib. 4. cap. 21. de civ. D. quia nubentes eis commendabantur, ut bene coniugarentur. Iugum enim matrimonio iungendis imponebatur ad significandam concor-

Lucina custos, quaeque domitorem freti

---

diam futuram et separationis difficultatem, ut tradit Isidor. lib. 9. Originum. Horum deorum effigies solitae in geniale cubiculum inferri, erantque praecipui, et quidem antesignani, Iupiter τέλειος sive γαμήλιος, Iuno τελεία sive γαμηλία, Venus, Diana, Hymenaeus, Πειθώ, quam Ennius Suadam, Cicero Leporem, Horatius Suadelam vocavit.

Ib. *Genialis tori.* Torus genialis et epulae geniales dicuntur pro nuptialibus et hic et apud Ciceronem pro Cluentio et alios. Nomen habet a Genio, ut patet. Dictus est autem Genius, quod suus quemque genius genuerit. Tibullo dicitur deus natalis, Plauto in Menaech. et Horat. lib. 2. epist. 2. naturae Deus humanae. Est ergo Deus coniugalis. Nam in coniugatorum aedibus tantum, teste Censorino, duo Genii colebantur. Martianus Capella tradit Genium dici Deum, qui quo primum momento homo gignitur, illi associatur. Amm. Marcell. ex gentilium doctrina lib. 21. Histor. scribit, Constantio Imp. Genium salutis tutelae appositum, paulo ante mortem ejus deseruisse, et cunctis in lucem editis hominibus, salva firmitate fatali, hujusmodi velut actus rectura sociari. Huiusmodi Genii paucis visi sunt, conspecti tamen traduntur a Pythagora, Socrate, Numa, Scipione maiore, Mario, Octaviano Augusto Trismegisto, Apollonio, Plotino: Is Plotinus scripsisse etiam traditur, quibus primordiis hi Genii animis connexi mortalium, et quomodo animas tanquam gremiis suis susceptas tueantur, et quoad licitum est, doceant maiora, si senserint puras, et a colluvione peccandi immaculata corporis societate discretas.

v. 2. *Lucina custos.* Lucina est Iuno, quod eius auspiciis coniugia inirentur, a quo munere varia fuit nomina sor-

tita. Dicta enim fuit *Opigena*, quod parturientibus opem ferret, ut autor est Festus: *Unxia*, quod sponsa mariti domum ingressura prius postes oleo vel adipe lupino inungeret, unde uxores quoque unxiores dictae B. Isidoro lib. 9. cap. ult. Orig. *Cinxia*, *λυσιζώνη*, quod cinguli solutionem fortunaret: *Iuga*, quod nuptias iungeret: *Socigena*, quod nubentes sociaret: *Interduca*, *Domiduca*, et similia, de quibus Martianus Capella. Porro non tantum Iuno et Lucina, sed etiam Iuno et Diana eadem creditur, teste Cicerone lib. 2. de Nat. Deor. [c. 27.] *Luna*, inquit, *a lucendo nominata est: eadem est enim Lucina. Itaque, ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant: quae eadem Diana omnivaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur, tanquam vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod hi maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerumque novem Lunae cursibus; qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. Concinneque, ut multa, Timaeus, qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagrasse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Plato in Theaeteto [p. 149. B.] scribit, Dianam, quum sterilis sit, partuum tutelam suscepisse, quia sit eadem cum Luna, quae ad pariendum multum confert. *Lucinam* alii dictam volunt vel a luco, ubi eius aedes condita, ut testatur Plin. lib. 10. c. ult. vel a luce, quod in lucem recens natos educat. Unde Ovid. lib. 2. Fast. [449.]:

— — dedit haec tibi nomina lucus
Vel quia principium tu, Dea, lucis habes.

Ib. *Domitorem freti Tiphyn.* Tiphys deus fuit marinus. Unde hic noster inf. v. 318. *Ausus Tiphys pandere vasto carbasa ponto, legesque novas scribere ventis*, et v. 617. *Tiphys inprimis domitor profundi.* Virgil. Ecloga 4.

Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
Et tu profundi saeve dominator maris,
Clarumque Titan dividens orbi diem,
Tacitisque praebens conscium sacris iubar,
Hecate triformis, quosque iuravit mihi

[v. 3.]: *Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat, Argo Delectos heroas.* Porro quod dicit, Tiphyn *novam frenare docuisse ratem* per novam ratem intelligit Argo primam navem, audaci interim usus tralatione in voce *frenare* exemplo Catulli, qui *currum* pro *navi*, et Horatii, qui *Eurum per Siculas undas equitare* dixit. Tale illud ex veteri Poëta apud Charisium [IV. p. 243. Putsch.]: Tiphyn aurigam celeris fecere carinae. Eiusdem generis est illud Plautinum [Rud. 1, 5, 10.]: *Nempe equo ligneo caeruleas per undas vectae estis.* Metaphorae ratio in eo posita, quod, ut ait Homerus Odyss. δ. [708.], celeres in mari naves equorum loco sunt — *αἴθ' ἁλὸς ἵπποι Ἀνδράσι γίγνονται.*

v. 3. *Docuisti.* Cum inquit *docuisti*, Minervam alloquitur.

v. 5. *Dividens orbi diem.* Alternis utrumque hemisphaerium illuminans.

v. 6. *Tacitisque.* Quia secreto nocte silente fiunt illa sacra.

v. 7. *Hecate triformis.* Hecate est ab *ἑκατὸν centum.* Dicta est autem ita Luna, aut quia centum victimis placanda, aut quod centum annos errare cogeret insepultos, aut propter plurimas eius virtutes, de quibus consulendus Coelius lib. 20. antiq. lect. cap. 6. Natalis comes lib. 3. Mytholog. cap. 15. Lilius syntagm. 12. *Triformis* dicitur. Est enim dea triformis sc. propter triplex nomen Dianae, Lunae, Proserpinae; vel quia triceps pingebatur, medio capite hominis, dextro equi, sinistro canis.

Ib. *Quosque iuravit mihi deos Iason.* Per deos intelligit

Deos Iason, quosque Medeae magis
Fas est precari, noctis aeternae chaos
Adversa Superis regna, Manesque impios,

---

sidera nocturna. Valer. Flaccus lib. 7. [498.] introducit Iasonem sic Medeae iurantem:

Per te, quae superis Divisque potentior imis,
Perque haec ergo tuo redeuntia sidera nutu,
Atque per has nostri imo discriminis horas,
Unquam ego si etc.

Apollodorus quoque lib. 1. Biblioth. diserte testatur, Medeam obtestatam deos, quos sibi Iason iurasset. Sane in nuptiis contrahendis Deorum testimonium iureiurando adhiberi solitum. Id neque a Catone et Marcia, ut reliqua solennia, praetermissum Lucanus significat lib. 2. [v. 352.] his verbis:

Foedera sola tamen, vanaque carentia pompa
Iura placent, sacrisque Deos admittere testes.

v. 9. *Noctis aeternae Chaos.* Chaos hic sumitur pro loco, quem habitant inferi, quem alias Orcum vocant. Eodem sensu utitur hac voce Seneca in Thyeste v. 1007. *Ad chaos inane regna cum rege abripis.* Proprie sumtum chaos describitur a Platone in Timaeo, Virgil. Ecl. 6. Ovidio Metamorph. 1. et Lucano lib. 1. Pharsaliae.

v. 10. *Adversa superis regna.* Orcum sive chaos vocat *adversa superis regna* i. e. opposita: quia, quemadmodum illa bona, ita haec sunt mala; illa suprema, haec ima; illa vitae, haec mortis; illa laeta, haec tristia: illa lucida, haec obscura et caliginosa.

Ib. *Manesque impios.* Cum et hoc loco et passim alibi a Poëtis praesertim iniiciatur mentio Manium, visum est hoc loco afferre non omnia, quae de Manibus passim a variis traduntur, sed insignem Martiani Capellae Manium explicationem. Illius igitur haec sunt verba: *A*

Dominumque regni tristis, et dominam fide

---

medietate aëris usque in montium terraeque confinia Hemithei Heroësque versantur, qui ex eo, quod Heram terram veteres dixerunt, Heroës nuncupati, ibique Manes, corpori humano praesules attributi, qui parentum seminibus manaverunt. Denique haec omnis aëris a Luna diffusio sub Plutonis potestate consistit, qui etiam Sumanus dicitur quasi summus Manium. Hic Luna, quae huic aëri proprior est, Proserpina nominatur. Verum illi Manes; quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam iisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures, qui si vitae prioris adiuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur: si autem depravantur ex corpore, Larvae perhibentur ac Maniae. Manes igitur hic tam boni, quam truces sunt constituti, quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας memorat Graia constitutio. Hactenus Capella, quibus adiiciemus illud Isidori lib. 8. [c. ult.] de Manibus: *Manes*, inquit, *Deos dicunt mortuorum, quorum potestatem inter Lunam et Terram asserunt, a quibus et mare dictum existimant: quos putant ab aëre, qui manus* i. e. *rarus, manes dictos; sive quia late manant per auras, sive quia immites sunt hominibus contrario nomine hoc appellantur.* Appuleius namque ait eos κατ᾽ ἀντίφρασιν dici Manes, hoc est mites ac modestos, cum sint terribiles et immanes. Apud Festum Paulus idem sentit: *Manes in carminibus saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos, et inferi Dii manes pro bonis dicuntur a suppliciter eas venerantibus propter metum mortis, ut immanes quoque pro non valde bonis dicunt.*

v. 11. *Dominum regni tristis.* Inferorum regem Plutonem. Invocare autem fingitur a nostro Medea Plutonem, Proserpinam, Hecaten, Eumenides, ceterosque deos inferos,

Meliore raptam, voce non fausta precor:
Adeste, adeste, sceleris ultrices Deae,

---

quia hi sunt magica numina. Dianam certe magicas artes exercuisse Tatianus lib. contra Graecos auctor est. Haec est, quam noster hic dominam, more graeco, qui δέσποιναν Proserpinam nominabant, vocat, unde illud Virg. Aen. 6. [397.]: *Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

v. 12. *Raptam.* Historiam raptus Proserpinae tribus libris Claudianus, brevius Ovidius lib. 5. Metam. persequitur. Caput fabulosae huius narrationis unde primum manaverit, docet Firmicus lib. de mysteriis et erroribus prof. rel. c. 7. traditque in hunc modum: *Plures procos habuisse Proserpinam, et inter eos divitem quendam rusticum, nomine Plutonem, qui cum amoris impatiens, moram non ferret, inventam vesperi in Ennae finibus prope Percum lacum amoenissimum, vehiculo superimpositam avexit. Raptorem cum armatorum turmis Ceres persequitur, qui vitae suae timens, et praedae retinendae spem abiiciens, equos per medium lacum impulit, cuius profundis voraginibus uterque demersus interiit. Postea solatio matris Ennenses ab inferorum Deo Plutone raptam finxerunt. Quaesivit interea toto fere terrarum orbe filiam Ceres, et Atticis frumentum secum e Sicilia delatum divisit; iaciendi seminis et frugis colligendae disciplinam tradidit: eo devincti beneficio Cereri nataeque illius divinos honores decreverunt,* quae omnia prolixe Firmicus scriptor Christianus, alius ab Astrologo nugacissimo persequitur.

Ib. *Fide meliore raptam.* Hoc vult dicere et queri Medea: Plutonem raptam Proserpinam uxorem duxisse, ductam nunquam repudiavisse, eamque ob causam longe melius actum cum Proserpina, quam secum, quae ab Iasone repudiata esset.

v. 13. *Ultrices deae cr. sol.* Describit hoc loco Poëta ha-

Crinem solutis squallidae serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexae facem,
Adeste: thalamis horridae quondam meis
Quales stetistis. coniugi letum novae,
Letumque socero et regiae stirpi date.
Mihi peius aliquid, quod precer sponso malum:
Vivat. per urbes erret ignotas egens,
Exsul, pavens, invisus, incerti laris:
Me coniugem optet; limen alienum expetat,
Iam notus hospes: quoque non aliud queam
Peius precari, liberos similes patri,
Similesque matri. parta iam, parta ultio est.

---

bitum, quo Furiae depingebantur: Vetulae, caput anguibus pro capillis cinctae, sanguineam manu facem gestantes et flagellum.

v. 19. *Mihi peius aliquid.* Concedite et date mihi malum letho deterius, quod imprecer perfido Iasoni, et mox, quasi hoc repererit, subdit: *Vivat* etc.

v. 20. *Per urbes erret.* Exilium cum egestate coniunctum malorum pessimum arbitrabantur veteres, praesertim si divagatio per incertas sedes accederet. Unde illud Ovidii in Ibin. [113.]:

Exul, inops erres, alienaque limina lustres.

Et Iustini lib. 14. [c. 4.]: *Has vobis diras atque inferias dico, ut inopes extorresque omne aevum in hoc castrensi exilio agatis.*

Ib. *Ignotas.* Vox *ignotas* non simpliciter hic accipienda, sed pro inimicis. Nam quemadmodum notus amicum signat apud Virg. [Cir. 260.]:

Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,

sic hoc loco ignota pro hoste sumitur.

Peperi. querelas, verbaque incassum sero.
Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Coeloque lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis! et spectatur, et curru insidens

---

v. 26. *Peperi.* Sc. pessimos liberos patrissaturos.

v. 27. *Excutiam faces.* Sc. ex manibus Creusae nuptiis illas praeferentium. Apud Romanos usitatum erat, ut in nuptiis faces praeferrent pueri patrimi matrimique, easque numero quinque, ut testatur Plut. in Problem. Romanar. quaestion. De hac consuetudine tenendum est, quod Festus tradit: *Facem*, inquit, *in nuptiis in honorem Cereris praeferebant, aquaque spargebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret.* Idem: *Rapi solet fax, qua praelucente nova nupta deducta est, ab utrisque amicis: ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro eam comburendam curet, quo utroque mors propinqua alterius utrius captari putatur.* Id quoque notandum, quod in liberorum nuptiis Daduchus iste puer ingenuus, in servorum vero, servus fuerit; ut scribit Varro lib. 2. de vita pop. Rom. Et haec consuetudo vigebat apud Romanos. Apud Graecos deducebatur quidem sponsa a puero ἀμφιθαλεῖ, sed matris erat facem praelucere, ut patet ex multis locis Tragoed. Euripidis, praesertim Iphig. Iocaste (i. e. Phoen.) Troad.

v. 28. *Coeloq. lucem excutiam.* Tenebras inducam.

Ib. *Spectat.* Senecae ordo verborum est: Sol spectator hoc spectat et curru insidens. Vult autem hoc dicere: Non tantum obiter, sed lente considerat, et quasi spectator in theatro, sic ille otiosus sedens in curru fruitur tanti inspectione flagitii. Hoc autem dicit, quia teste Homero Sol cuncta videt et audit.

Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, et remetitur diem?
Da, da per auras curribus patris vehi.
Committe habenas, genitor, et flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga.
Gemino Corinthos litori opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.

---

v. 30. *Puri poli.* Nulla nube maculati, nitentisque coeli.

v. 32. *Da, da.* Solis currum postulat, ut Corinthum exurat, quemadmodum eodem curru orbem Phaëthon.

Ib. *Patris.* Pro voce *patris* substituunt *patriis* interpretes hac inducti ratione, quod Medea fuerit neptis et non filia Solis, putantque errorem illum natum esse ex antiqua scribendi ratione, qua patrîs contracte scribebatur pro patriis. *Patriis*, avitis.

v. 33. 34. *Flagrantibus ignifero.* Succincta haec est descriptio curruum Solis, quam splendidius describit Naso lib. 2. Metamorph.

v. 35. *Gemino Corinthus.* Corinthus in Isthmo Peloponnesi sita Aegaeum mare ab Ionio dividit, et interpositura sua impedit, ne invicem commisceantur. Unde Ovid. epist. Medeae [104.]:

Quique maris gemini distinet Isthmos aquas.

Lucanus lib. 1. Pharsaliae [100.]:

— — — — — *qualiter undas*
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum; si terra recedat
Ionium Aegaeo frangat mare.

Corinthi et Isthmi descriptio elegans extat apud Aristidem tomo 1. in orat. Isthmica, quo loco Corinthum a Corintho Iovis f. nominatam significat.

v. 36. *Cremata flammis.* Hoc vult dicere Medea, exusta

Hoc restat unum: pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum; postque sacrificas preces
Caedam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quaere supplicio viam,
Si vivis, anime: si quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcunque vidit Phasis aut Pontus nefas,

Corinthus desinat impedire utrumque mare, quo alluitur, quo minus in invicem ferantur, et mutuo collidantur. *Committat* porro dicit pro componat, veluti par gladiatorum. Nam ex arena sumptum verbum.

v. 37. 38. *Pronubam pinum.* Vocat pineam taedam. Ita et Virgil. in Ciri [439.]:

Pronuba nec castos incendat pinus odores.

v. 38. *Post sacrificas preces.* Solennia sacrificia et preces in nuptiis adhibebantur. Id docent Dionys. Halicar. in libro *περὶ τῶν γαμηλίων*, et Plato lib. 5. de Legg. et noster versu 300. *Sacra me thalami vocant, vocat precari festus Hymenaeo dies.*

v. 40. *Viscera.* Sc. liberorum meorum, quos victimas dicatas et devotas caedam.

v. 42. *Pelle faemineos metus.* Omnem ex animo timorem fuga, qui muliebri naturae et ingenio additus.

v. 44. *Phasis.* Lycus, Araxes, Phasis maximi fluvii Colchorum regionem perfluunt. Phasis apud quem Medea laceravit Absyrtum fratrem suum, teste Ptolemaeo, ex montibus Caucasiis, teste Strabone, ex Armenia, teste Plinio, ex Moschis nascens Hippum, Glaucum Cyaneum, et alios amnes recipit, et antequam prope Phasim urbem mari illabatur 120 pontibus iungitur. Hecataeus Milesius

Videbit Isthmos. effera, ignota, horrida,
Tremenda coelo pariter ac terri mala,
Mens intus agitat; vulnera, et caedem, et vagum
Funus per artus levia memoravi nimis.
Haec virgo feci. Gravior exsurgat dolor;
Maiora iam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua

---

putavit influere in Oceanum, sed errorem confutavit Artemidorus Ephesius et Eratosthenes lib. 3. Geograph.: vere enim illabitur in Euxinum Pontum, ut Apollonii Scholiastes tradidit. Olim dictus fuit Arcturus. Mutati nominis causam sed fabulosam narrat Plutarchus lib. περὶ τῶν ποταμῶν.

Ib. *Pontus.* Intelligitur Euxinus, per ἀντίφρασιν, cum prius ob incolarum immanem crudelitatem ἄξενος diceretur.

v. 49. *Haec virgo feci.* Sc. cum Absyrtum fratrem meum discerpsi; qua de re extant antiqui Poëtae versus a Cic. relati 3. de N. D. [c. 26.]:

Postquam pater appropinquat, iamque pene, ut comprehendatur, parat,
Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit,
Perque agros passim dispergit corpus: idque ea gratia,
Ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interim effugeret, illum ut moeror tardaret sequi,
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

v. 50. *Post partus.* Respicit ad illud Ovidii in epist. Medeae, ubi ait [117.]:

Nec tamen extimui (quid enim post illa timerem)
Credere me pelago faemina, iamque nocens.

v. 52. *Paria.* Aeque crudelia et scelesta; nuptias fraterna

Repudia thalamis. quo virum linquis modo?
Hoc, quo secuta es. rumpe iam segnes moras:
Quas scelere parta est, scelere linquenda est domus.

CHORUS.

In Choro mulieres Corinthiae nuptiis Iasonis et Creusae Epithalamium praecinunt, nuptialibus iocis mixtum.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui coelum superi, quique regunt fretum,
Adsint, cum populis rite faventibus.

---

caede et fuga contaminasti; repudium ornent fuga et parricidium. secuta es virum, occiso fratre; linque maritum, necatis liberis. quam familiam Iasonis ingredi meruisti tam nefariis sceleribus, eandem desere et amitte novis, non minoribus contaminata.

v. 58. *Adsint.* Hoc ait, tunc temporis, teste Catullo [epith. Pel. et Th. 385.]:

Praesentes namque ante domos invisere castas
Saepius, et sese mortali ostendere vultu
Coelicolae, nondum spreta pietate, solebant.

quo tempore Pelei et Thetidis nuptias Dii praesentia sua honorarunt.

Ib. *Rite faventibus.* Rite favebant, qui bona verba loquebantur, et malis verbis se abstinebant. Nam quemadmodum in inaugurationibus, ita in nuptiis Principum verisimile est, faustis vocibus populum acclamare solitum.

Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam nivei femina corporis
Intentata iugo placet. et, asperi
Martis sanguineas quae cohibet manus,

Huius moris vestigia et hoc et aliis locis inveniuntur: Inde enim illud Iuvenalis Sat. 2. [119.]:

Signatae tabulae, dictum FELICITER, ingens
Coena sedet etc.

noster Octaviae v. 697.

Sublimis inter civium laeta omina.

Item in Antonii et Octaviae nuptiis apud Appianum lib. 5. de bello civili, de quibus videndus Brissonius lib. 8. Formular.

v. 59. *Sceptriferis tonantibus.* Iovi et ceteris diis taurus in sacrificiis offeratur.

v. 61. *Lucinam.* Iunonem, cui candida vacca mactabatur. Docet id Virg. Aen. 4.

v. 62. *Intentata iugo.* Nondum passa iugum, in iugis. Sic enim has hostias Latini vocabant, quas Graeci ἀζύγους et ἀκεντήτους. quod ostendit Macrob. lib. 3. Saturn. c. 5. Virgil. *intacta cervice iuvencus.* Horat. *nondum expertas iugum*, Ovidius *rudes operum* dixerunt.

v. 63. *Martis sanguineas quae cohibet manus.* Haec verba vel de Venere intelligenda, cui etiam Papinius Thebaid. 3. [v. 295.] Martem sic loquentem inducit:

O mihi bellorum requies et sacra voluptas
Unica pax animo, soli cui tanta potestas
Divorumque hominumque, meis occurrere telis,
Impune, et media quamvis in caede, furentes
Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextra.

Vel potius, suadente versu sequente, de Pace et Concordia. Nam cornucopiae Pacis et Concordiae proprium est,

Quae dat belligeris foedera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.

---

de quibus Horat. lib. 1. Od. 17. *Hinc tibi copia manabit ad plenum benigna*, et in carmine seculari, cum dixisset: *Iam fides et pax*, deinde subiungit: *apparetque beata pleno Copia cornu.* Confirmat idem Aristides in orat. pro Concordia, et hanc rerum omnium affluentiam, quae Pacem consequitur. Pax ab Atheniensibus dicebatur Plutonis seu Pluti nutrix, et ulnis eum gerens effingebatur, teste Pausan. in Att. et Boeot. Pluto enim divitiarum et opulentiae Deus Straboni lib. 3. unde et nomen sortitum Plato in Cratylo censet. Paci primum Athenis ara statuta publice post Cimonis victoriam ad Eurymedontem, si Plutarcho credimus in Cimone; sin Aemilio Probo, post Timothei victoriam de Lacedaemoniis.

v. 66. *Tenera.* Ove. Nam haec Pacis hostia, quae illi caedebatur seorsim extra conspectum Deae, cuius nec aram sanguine licebat aspergere, quia neces et sanguinis effusiones Paci adversantur, ut docent Aristoph. eiusque Scholiastes in Comoedia: *Pax.*

Ib. *Hostia.* Si Ovidio, cuius est hic versus satis notus:

Hostibus a domitis hostia nomen habet,

credimus, proprie *hostia* illa dicitur, quae devictis hostibus mactatur. Verum Sex. Pompeius hoc nomen omni victimae, quae feritur, commune docet, quia ferire veteres hostire dixerunt; et ab hostiendo hostia. Servio auctore hostiae dicuntur sacrificia eorum, qui in hostem pergunt, victimae, sacrificia, quae post victoriam fiunt; sed haec, ait, licenter confundit auctoritas. Servio assentit D. Isidor. lib. 6. orig. cap. de offic. et addit: *Alii*

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,

---

victimam dictam putaverunt, quia ictu percussa cadebat, vel quia vincta ad aras ducebatur.

v. 67. *Qui facib. leg.* Hymenaeus notatur, quem alii Bacchi, nonnulli Apollinis, quidam Magnetis, Claudianus Musae filium facit, cum ita scribit:

Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Praefecit thalamis; nullum vinxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere taedas.

Hymenaeus porro, Deus nuptialis, pingebatur iuvenis marcidus, voluptate dissolutus, temulentus, coronatus rosis, ut Seneca, vel amaraco, ut Catullus innuit, dextrâ faces, sinistrâ flammeum ostentans, in pedibus soccos luteos gerens. Eum hoc modo describit Catullus in Epithalamio Iuliae et Mallii:

Collis o Heliconei
Cultor, Uraniae genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenaee Hymen.
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci;
Flammeum cape; laetus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum,
Excitusque hilari die
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnulâ,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam.

v. 68. *Noctem discutiens.* Face, quam praefers, nocturnas tenebras dispellens.

Ib. *Auspice dextera.* Qua auspicium praebes nuptiis, et facis, ut auspicato contrahantur. Auspicia enim attendi in nuptiis solebant.

v. 69. *Huc incede gr. marc. ebr.* Temulentum fingebant Hymenaeum fortasse ideo, quod sine Cerere et Baccho friget Venus. Marcidus h. e. enervatis et fractis viribus

Praecingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quae gemini praevia temporis
Tarde stella redis semper amantibus:
Te matres avidae, te cupiunt nurus
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti iugis

---

languens et titubans prae vinolentia: cuiusmodi gradum et marcorem in somnolentis cernimus, somno nondum plene discusso.

v. 71. *Et tu quae gemini.* Stellam gemini temporis praeviam vocat Hesperum, qui diem noctemque annunciat; eam tarde redire dicit amantibus, quia amantes optant ipsius adventum noctis nuntium. Unde Catulliani iuvenes:

Hespere, qui coelo lucet iucundior ignis?
Qui desponsa tuâ firmas connubia flamma,
Quod pepigere viri, perpigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius, quam te tuus extulit ardor.
Quid datur a Divis felici optatius hora?

At Virgilianae virgines inter spem et metum fluctuant, eandemque stellam amant et oderunt in Ciri [349.]:

Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
Et gelida veniens mani quatiebat ab Oeta;
Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae,
Hesperium vitant, optant ardescere Solem.

Quare eaedem apud Catullum: *Hespere quis coelo fertur crudelior ignis?*

v. 76. *Cecropias.* Atticas.

v. 77. *Taygeti iugis.* Taygetus Laconiae mons tam altus, ut Lynceum ex eius cacumine totam Pelopis insulam conspicere potuisse cecinerint Poëtae: de quo videndus Isa-

Exercet iuvenum modo,
Muris quod caret, oppidum:
Et quas Aonius latex,

---

cius (Tzetzes) in Lycophr. et Strabo lib. 7. Loquitur autem de Spartanis virginibus, de quibus sunt illa antiqua:

Nihil horum simile apud Lacaenas virgines,
Queis magis palaestra, Eurota, Sol, pulvis, labos,
Militia in studio est, quam fertilitas barbara.

De his etiam integra extat Propertii elegia lib. 3. [el. 12.] ubi inter cetera legitur [v. 13.]:

Et modo Taygeti, crines aspersa pruina,
Hortatur patrios per iuga longa canes.

Cum autem dicit Seneca: *Exercet iuvenum modo*, ostendit, Spartanas virgines non fuisse otiosas, sed virilibus deditas studiis et exercitiis adolescentum. Nam et venationibus et luctae aliisque certaminibus operam dabant. Unde Venus a Virgilio (Aen. 1.) sub persona Spartanae virginis inducitur comparere et Aeneam suum affari. Propertius, cum loco citato inter alia adiicit [v. 3.]:

Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros;

hoc vult dicere: quod id Spartae turpe non fuerit, quasi vero mos et consuetudo turpitudinem excuset.

v. 79. *Muris quod caret oppidum.* Sparta, quae tamen postea muris cingi coepit, teste Iustino lib. 14. cap. 5. Quo loco tamen vitio datur Spartanis, quod urbem, quam semper armis non muris defenderant, tum ultra responsa fatorum et veterum maiorum gloriam armis diffisi murorum praesidio incluserint. Et addit Iustinus: Tantum eos degeneravisse a maioribus, ut cum multis seculis murus urbis civium virtus fuerit, cives salvos se fore non existimaverint, nisi intra muros laterent.

v. 80. *Aonius latex.* Dirce fons Boeotiae prope Thebas,

Alpheosque sacer lavat.
Si forma velit aspici,
Cedent Aesonio duci,
Proles fulminis improbi,

Musis sacer. Nam Boeotia prius Aonia dicta teste Gell. lib. 14. Noct. Attic. c. 6. et Stephano in voce Ἄονες. Videtur autem Seneca hoc versu Creusam Musis velle comparare, et sequenti Nymphis; quibus Alpheus gratissimus creditus, quem sacrum nuncupat propter causam illam generalem, quia fluvii, ut ait ille, Deorum filii, et quia fluvii et fontes sacri, vel Ovid. teste Metamorph. 2. et 8. imo et paludes et stagna. Unde Seneca Epist. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.* Sed et ob peculiarem sui cultum sacer dicitur a nostro Alpheus. Nam Pausanias testatur lib. 1. Eliacor., stato die quotannis (19. Febr.) aruspices cinerem ex Prytaneo deportare, eoque aqua Alphei diluto aram Iovis oblinere, et religione sancitum hunc cinerem sola Alphei aqua dilui et eo tantum tuto arae tectorium superinduci, eam ob rem Alpheum omnium fluviorum Iovi amicissimum credi.

v. 83. *Cedent Aesonio duci.* Aesonium vocat Iasonem, quia Aesonis filius, Aeson Crethei, Cretheus Aeoli. Dicitus autem Iason παρὰ τὴν ἴασιν, quia medicinam a Chirone didicerat. Estque haec sententia Senecae. Si fortunae et pulchritudinis certamen Iason subire velit, cedent illi formosissimi quique Deorum. Ac putant commodius esse critici, si ita collocentur isti versus: *si forma velit aspici, cedent Aesonio* etc.

v. 84. *Proles fulminis improbi.* Est Bacchus a Iove fulmi-

Aptat qui iuga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,
Frater virginis asperae.
Cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.
Sic, sic, Coelicolae, precor,
Vincat femina coniuges,
Vir longe superet viros.
  Haec cum femineo constitit in choro,
Unius facies praenitet omnibus.
Sic cum sole perit sidereus decor,
Et densi latitant Pleïadum greges,

---

nante et flammis Semelem comburente genitus. *Fulm. improb.* vocatur, quia amicam combussit.

v. 86. *Qui tripodas movet.* Phoebus, qui responsa reddebat per vatem stantem super tripode, h. e. mensa tribus fulta pedibus; ideo ait *movere tripodas.*

v. 87. *Virginis asperae.* Dianae feras assiduo venatu fatigantis et hominum commercium fugientis.

v. 89. *Pollux.* Castorem Homerus vocat equorum domitorem, Pollucem bonum pugillatorem. Theocr. Idyll. 14. cum manus loris bubulis cinxerat, terribilem in pugilum certamine canit.

v. 91. *Coniuges.* Sc. Deorum. Nam humanas formas iam vincere, dicent paulo post, et ab Iasone non homines modo, sed et Deos superari cecinerunt.

v. 96. *Densi Pleïadum greges.* Pleiades, quae Pleiones etiam dictae, per Synecdochen hic ponuntur pro omnibus sideribus. Eas cum densos greges vocat, ad etymon alludit. Pleiades enim stellae ἀπὸ τοῦ πλείστου, a pluralitate dictae putantur.

Cum Phoebe solidum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niveus Phoenicio color

---

v. 97. *Lumine non suo.* Alludit his verbis ad etymon. Nam lunam dictam volunt, quod luce luceat aliena.

v. 98. *Orbem.* Hoc est, cum luna plena est, eum orbem suum implevit et cornua in unum coïerunt.

v. 99. *Ostro sic niveus.* Pulcherrimam harmoniam fuisse necesse est duorum illorum colorum, purpurei et nivei. Quibus inter se mixtis usum esse Darium, testis est Curtius lib. 3. cap. 3. *Cultus regis*, inquit, *inter omnia luxuria notabatur; purpureae tunicae medium album intertextum erat.* Eamque ob causam hisce similitudinibus usi sunt frequenter Poëtae: unde est illud Ovidii [Am. II, 5, 35.]:

Quale coloratum Tithoni coniuge coelum
Subrubet, aut sponso visa puella novo,
Quale rosae fulgent inter sua lilia mistae,
Aut ubi cantatis Luna laborat equis,
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

Tibullus etiam lib. 3. Eleg. 4.

Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus:
Ut iuveni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas,
Ut cum contexunt amaranthis alba puellae,
Lilia, et auctumno candida mala rubent.

Propert. lib. 2. Eleg. 2. [21.]

Lilia non domina sint magis alba mea.
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
Utque rosae puro lacte natant folia.

Cum autem h. l. et ostri et Phoenicei coloris mentionem faciat Seneca, non abs re fuerit, de hoc colore, ut et purpura, ex qua hic color confit, aliquid afferre, cui de ostro aliquid subtcxetur. Phoeniceus igitur color est idem, quod puniceus, ut docent Anton. Thylesius lib. de colorib. cap. 10. et Iul. Caes. Scaliger de subtilitate ad Cardanum exercit. 325. num. 13. Puniceum autem idem quod purpureum notare, satis in confesso est. Materiam porro purpurei coloris suggerebat exiguus sanguis minuti conchilii, cui nomen Purpura. Eum sanguinem vivo animalculo educere oportebat, ne color elanguesceret, vel succus deperiret, teste Plinio lib. 9. cap. 36., cuius haec sunt verba: *Purpurae florem illum tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus: liquoris hic est minimi candida vena, unde pretiosus ille bibitur succus, nigrantis colore rosae sublucens, reliquum corpus sterile. Vivas illas capere contendunt, quia cum vita sua succum illum evomunt.* Hactenus Plinius. Ceterum uno a purpurariis ictu contundebantur purpurae. Pretium par paene margaritis, et Tyriae dibaphae unam libram vix centum aureis nostris emi potuisse autor est Plinius lib. 9. cap. 35. 36. Serici vero purpurei libram auri libra pensari solitam, Vopiscus in Aureliano prodit. Pretiosissima purpura fuit Sarrana, quae eadem est cum Tyria. Dicta autem fuit Sarrana, quia Tyros insula Sarra sive Sar dicta. Quo loco et hoc observandum, quod Nonius in voce *imbuere* ex Ciceronis Hortensio tradit: *Eos, qui combibi purpuram volunt, prius lanam medicamentis quibusdam sufficere.* Dignum autem in primis notatu illud, quod Cassiodorus lib. 2. variar. epist. 2. notavit: Eum, qui Sericum purpurae intingeret, purissimam habere debuisse corporis castitatem; quia, inquit, talium rerum secreta refugere dicuntur immunda. De ostro tenendum, quod omne ostrum quidem purpura sit, sed non omnis purpura ostrum, quia ostrum, ut Gellius tradit lib. 2. Noct. Attic. cap. 26.

Perfusus rubuit: sic nitidum iubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenae solitus pectora coniugis
Invita trepidus prendere dextera,
Felix Aoniam corripe virginem
Nunc primum soceris, sponse, volentibus.
Concesso, iuvenes, ludite iurgio.

---

exuberantiam splendoremque ruboris habet, h. e. illustratur splendore, quo reliqua purpura caret.

v. 100. *Nitidum iubar.* Nascentem solem vel Auroram matutinam.

v. 101. *Roscidus.* Rore nocturno madens.

v. 102. *Ereptus thalamis Phasidos.* Medeae coniugis liberatus.

v. 103. *Effrenae.* Cuius amores et irae nullis frenis, cuius crudelitas et audacia nullis repagulis coërceri unquam potuerunt: mulieris efferae, ferocis, terribilis, verum barbarae, ad Phasim natae.

v. 104. *Prendere.* Hac voce apte utitur Seneca. Nam ita contractum nuptum verbum esse constat ex Catullo et aliis.

v. 105. *Aoniam.* Trade te alacrem melioribus nuptiis, fruere Graeca virgine, liberaliter instituta, nec a Musis aut Gratiis aliena. Nam et paulo ante Musis eam comparavit. Aoniam ergo pro Graeca sumit, et opponit Barbarae, forte etiam ad Musarum fontem Pirenen, qui fuit Corinthi, alludit.

v. 106. *Nunc primum.* Nam in priores Iasonis et Medeae nuptias neque Aeson neque Aeetes consenserant.

Hinc illinc, iuvenes, mittite carmina.
Rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei,

---

v. 108. *Hinc illinc.* Alternate versus nuptiales: cuius rei exemplum habemus virginum et adolescentum Catullianorum.

v. 109. *Rara est in dominos.* Raro iure ac legibus permittitur dominis conviciari. Nam nuptiarum duntaxat, et paucis aliis diebus id licuit, quibus sc. mos dominis servire, ut Mercurialibus apud Cretenses, Geraestionis quodam die apud Troezenios, Saceae festo quinque diebus apud Babylonios, Peloriis apud Thessalos, autore Athenaeo lib. 14. Conviv. Sophist. cap. 17. [p. 639. B. c.] Forte et Cronìis apud Athenienses, de quibus ex Attii Annal. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. quae Romani Saturnalibus imitabantur, ut docet idem Athenaeus eodem loco, et Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 10., de quo festo intelligenda ista Senecae epist. 47. *Instituerunt diem festum, non quo solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, et ius dicere permiserunt.*

v. 110. *Proles Lyaei.* Hymenaeum Bacchi et Uraniae filium facit, quod idem Catullus et Claudianus asserunt. Martianus item Capella his versibus:

Tu quem psallentem thalamis, quem matre Camena
Progenitum perhibent, copula sacra Deûm.
Semina qui arcanis stringens pugnantia vinclis
Complexuque sacro dissona nexa foves.
Namque elementa ligas vicibus, mundumque maritas,
Atque auram mentis corporibus socias.
Foedere complacito, sub quo natura iugatur,
Sexus concilias et sub amore fidem.
O Hymenaee decens, Cypridis tu maxima cura:
Hinc tibi nam flagrans ore Cupido micat.

Multifidam iam tempus erat succendere pinum.
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

Seu tibi quod Bacchus pater est, placuisse Choreas
Cantare ad thalamos seu genitricis habes,
Comere verniferis florentia limina sertis
Sex consanguineo Gratia trina dedit.

Quot hic officia commemorantur Hymenaei, totidem quoque causae indicantur, cur invocare illum chorus debeat, ut adsit nubentibus. Atque haec eiusmodi sunt, ut non facile illa sic breviter enumerata alibi inveniamus.

v. 111. *Multifidam.* Vocat spicatam, ad spici et aristarum similitudinem incisam. Unde Papinius lib. 3. Theb.

Multifida attollens antiqua lumina cedro.

Veteres et inspicare dicebant: unde Virg. *ferroque faces inspicat acuto.*

v. 112. *Excute.* Iacta facibus accensis flammas, a silice sumpta tralatio, e cuius proprie venis ignis excutitur.

v. 113. *Fescenninus.* Fescenninos cantaturi pueri praetextam ponebant, ne pudorem et ius eius violarent. Fescennini enim versus dicebantur, qui in nuptiis canebantur, erantque omni obscoenitate et opprobriis pleni, teste Macrobio lib. 2. Saturn. Dicti sive quod fascinum putarentur arcere, sive quod ex urbe Fescennina essent allati, ut Festus docet. Erat autem Fescenninum oppidum Campaniae, ut tradit Servius, ubi nuptialia carmina sunt inventa: Plinio Fescennia Hetruriae civitas dicitur, cuius populi ducunt originem ab Atheniensibus. Unde Virgil.: *Fescenninas acies* nominat Aen. 7. Hinc *Fescennina licentia* apud Horat. lib. 2. epist. 1. et *Fescennina locutio* apud Catullum in Epithal. Iuliae. Illud obiter notandum, quod de Pollione memoriae proditum est; in quem cum Fescenninos scripsisset Augustus temporibus triumvirali-

Solvat turba iocos. Tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

---

bus, *at ego*, is inquit, *taceo. Non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.* Macrob. Saturn. II. c. 4.

v. 114. *Tacitis eat illa tenebris.* Verba haec simpliciter et aperté ita interpretantur: sine facibus illa eat. Sed alii hoc significari volunt: Moriatur ingloria et illaudata; oblivióne nomen eius deleatur; sic ad inferorum tacitas sedes migret, ut apud superos etiam memoria damnetur et penitus intereat.

v. 115. *Peregrino.* Auget odium, cum peregrinum vocat Iasonem. Nam nuptiae cum peregrinis factae improbabantur. Et peregrinae usque adeo male audiebant, ut pro scortis earum nomen acciperetur, quod fuit observatum a Donato in Terentii Andria, Eunucho et Phormione. Quotquot etiam a patria procul degebant, vix improbitatis aut ignominiae nota se eximere poterant, ut indicat Ennius apud Cic. lib. 7. epist. ad Trebatium.

Ib. *Fugitiva.* Sic vocat Medeam, quia domo patris profuga raptorem secuta; atque ita fugitiva Iasoni peregrino nupsit. Ubi non iniuria quaeritur, quo in loco nupserit. De loco autem mirifice dissentiunt scriptores. Nam Timaeus, Apollonius et Orpheus in Corcyra insula nuptias factas tradunt; Dionys. Milesius lib. 2. Argonaut. Byzantii; Antimachus in Lyde prope fluvium nescio quem; Philetas in Telepho factum id docet in domo Alcinoi; Timonax lib. 1. histor. Scythicae in ipsa Colchide Aeeta sciente; Valerius Flaccus canit in Peuce insula coeptas nuptias, adventu Absyrti impeditas, ne perficerentur.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

In actu secundo alit iras Medea, et accenditur in furorem audito Hymenaeo. Conatur eam ad sanam mentem nutrix revocare; sed incassum. Ut enim si flammis oleum iniicias, sic huius augescit furor. Supervenit Creon, et in exilium iubet abire: verum fallacibus precibus emollitus dieculae inducias parando discessui largitur.

MEDEA. NUTRIX.

MED. Occidimus. aures pepulit Hymenaeus meas.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.

---

v. 116. *Hymenaeus.* Parentem utrumque etiam solitum concinere carmen nuptiale, docet Musaeus; dum id praetermissum malo omine testatur hoc versu:

Οὐχ ὑμέναιον ἄεισε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Non cecinit pater aut mater veneranda hymenaeum.

Cur autem carmini nuptiali inditum sit nomen Hymenaei, docet et Donatus in Adelphos Terentii, et Servius in lib. 1. Aeneid. Virg. et Luctatius in 6. Thebaid. Statii: idque in hunc modum traditur: Athenis iuvenem fuisse formosissimum Hymenaeum, qui puerili facie virum tegens et faeminam simulans, Eleusinia cum mulieribus sacra cele-

Haec facere Iason potuit? erepto patre,
Patria atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contemsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, et mare?
Adeone credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente vesana feror,
Partes in omnes, unde me ulcisci queam?
Utinam esset illi frater! est coniux. in hanc

---

brarit, et a piratis cum iisdem simul raptus fuerit; qui cum eum, id quod habitu mentiebatur, crederent, virginem illi, quam amabat, crediderunt: mox piratae somno depressi, ab ipso, an ab insequentibus, iugulantur. Festinat deinde Athenas Hymenaeus, et nuntium primus parentibus perferens, si natas eis reddidisset, amasiae suae nuptias sibi paciscitur. Fuit hoc coniugium felix et sine querela. Inde obtinuit, ut deinceps Athenienses boni ominis causa Hymenaei nomen in nuptiis iterarent. Imitati id Corinthii (teste Seneca) et ceteri Graeci ac Romani, ut Terentii, Virgilii, Catulli, Claudiani et aliorum convincit autoritas. Inde sic dictum carmen nuptiale, vel etiam, ut Claudianus et Alcymus Avites vocant, Hymen. Illud quoque notandum, quod per choros alternatim canebatur Hymenaeus. Chororum ratio et modus ex Catulli Epithal. petenda.

v. 121. *Scelere flammas.* Flammam compescuit taurorum sacris magicis, de quibus videndus Valer. Flacc. lib. 7. et 8. Argon. Ovid. lib. 7. Metamorph. Mare autem fugiens artibus suis tranquillarat. Haec autem duo nominat, quia ex tribus, quae Graeci mala existimant, duo sunt mare et ignis, tertium est mulier.

v. 122. *Nefas.* Vim herbarum et artium malarum ad patranda scelera.

errum exigatur. hoc meis satis est malis.
quod Pelasgae, si quod urbes barbarae
overe facinus, quod tuae ignorant manus,
unc est parandum. scelera te hortentur tua;

---

v. 126. *Haec* *) *meis satis est malis.* Censent interpretes his verbis subiungendam esse notam interrogationis, quod alias futurum sit, ut langueat oratio, quasi neget, sufficere unam Creusam exigendae ultioni.

v. 127. *Barbarae.* Hoc loco Graecorum morem sequitur, qui mundum in duas partes dividebant, in Graecos seu Pelasgos et Barbaros, quod Platoni displicuit, ut et Eratostheni, qui malebat homines in bonos et malos dividi. Tales enim tum ex Graecis, tum ex aliis omnes, ut autor est Strabo lib. 1. Vocis *Barbarus* ridiculam etymologiam affert Cassiodorus, qui Barbaros dictos vult a barba et rure, quod hispidi sint pagani, et nunquam in urbibus vixerint. Certum est autem Graecum nomen esse, de cuius origine disserit Strabo lib. 14., qui censet eos initio Barbaros vocatos, qui difficulter, aspere, crasse et duriter loquerentur. Huiusmodi Graecis visas nationes reliquas, et barbaros nominari coeptas, tum quod vernaculus illorum sermo inconcinnus erat, tum quod Graecum idioma minus expedite pronuntiarent. Stricte ac proprie vocabulum Barbari de Phrygibus accipiebatur: unde illud Horatii: *Graecia Barbariae lento collisa duello.* Et Sophocles in Aiace *βάρβαρον Φρύγα*; cui illud addendum: Arabiae quandam regionem dici Barbariam, et inde denominari Barbaricum pelagus, autore Stephano. Hispani hodie Africam, *a* in *e* mutato nomine Barveria vocant, et Itali equos Africanos seu Arabicos Barbarescos.

*) In edd. Senecae est *hoc.*

Et cuncta redeant. inclitum regni decus
Raptum; et nefandae virginis parvus comes
Divisus ense, funus incestum patri;
Sparsumque ponto corpus; et Peliae senis
Decocta aheno membra. funestum impie
Quam saepe fudi sanguinem! at nullum scelus
Irata feci. saevit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitrii
Iurisque factus? debuit ferro obvium
Offerre pectus. melius, ah melius, dolor
Furiose, loquere. si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minus, vivat tamen,
Memorque nostri muneri parcat meo.

---

v. 130 sq. *Regni decus raptum.* Vellus aureum. *Virginis parvus comes*, frater Absyrtus.

v. 132. *Funus incestum.* Rectius et concinnius *incertum* legunt critici. Sumitur autem tum *incertum* hoc loco pro ita laniatum ac prorsus deformatum, ut nec cuius cadaveris frusta, nec quo quaeque loco partes reponendae, satis parenti liqueret.

v. 134. *Decocta aheno membra.* Non mea, sed Iasonis ulciscendi gratia.

v. 136. *Saevit.* Mimesis est, et dicitur pro saeviit, ut alias saepe.

v. 142. *Muneri parcat meo.* Si fieri queat, et vivum, et maritum et sui amantem optat vivere; si nequeat, vivere tamen sui non immemorem, et vitam, quam ipsa quasi dederit, retinere. Pro *parcat* malunt alii *parcas* legere, ut haec sit sententia: Ira, furor, dolor, ne opta, inquit, illi mortem, cui vitam dedi, parce meo muneri, sine salvum meum beneficium. De hoc affectu liberalitatis non

Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Coniugia solvit; quique genitricem abstrahit
Natis, et arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit. petatur solus hic; poenas luat,
Quas debet, alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.

---

omittam, quin inducam vobis pulcherrimum illum Senecae nostri locum, qui extat lib. 4. de beneficiis [c. 15.]: *Non mentiar*, ait, *si dixero, neminem non amare beneficia sua, neminem ita compositum animo, ut non libentius eum videat, in quem multa congessit, cui non causa sit iterum dandi beneficii, semel dedisse; quod non accideret, nisi ipsa nos delectarent beneficia. Quam saepe dicentem audias: Non sustineo illum deserere, cui dedi vitam, quem e periculo eripui. Rogat me, ut causam suam contra gratiosos homines agam. Nolo; sed quid faciam? iam illi semel iterumque adfui. Non vides inesse isti rei propriam quandam vim, quae nos beneficia dare cogit, primum, quia oportet, deinde quia dedimus? Cui initio ratio non fuisset praestandi, aliquid ei praestamus ob hoc, quia praestitimus. Ita nos ad beneficia non impellit utilitas, ut et inutilia tueri ac fovere perseveremus, sola beneficii caritate, cui etiam infeliciter dato indulgere tam naturale est, quam liberis parvis.*

v. 143. *Creontis.* Corinthi regis, Sisyphi filii.

v. 147. *Cumulabo.* Pro *cumulabo* sua et recta sententia legendum est *tumulabo.*

v. 148. *Atrum verticem.* Densum nigrumque fumum sinuoso flexu per aërem subeuntem ferri ad coelum.

v. 149. *Malea longas navibus flectens moras.* Malea promontorium est Laconiae per quinque millia passuum in

NUTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
Manda dolori. gravia quisquis vulnera
Patiente et aequo mutus animo pertulit,

---

mare proiectum, ubi quia propter continuas ventorum procellas periculi plena est navigatio, factus est locus proverbio: *Μαλέανδε κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. Cum ad Maleam deflexeris, domesticos obliviscere.* In huius proverbii explicatione multa ab Erasmo adducuntur. Facit itaque moram navibus Malea, dum praetervehentes tempestatibus et inquiete fluctuum, ac sinuosis longissimisque excurrentium et recedentium littorum spatiis detinet atque moratur. Ex eo passim apud poëtas male audit Malea. Virgil. Aen. 5, 193. in descriptione certaminis nautici Mnestea socios ad strenue remigandum hortantem his verbis inducit:

Nunc nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites, nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.

Ovid. lib. 2. Amor. El. 16. [24.]: *Ne timeam vestros curva Malea sinus.* Statius lib. 7. Theb. *Raucae circumsonat ora Maleae.* Lucanus lib. 6. [58.]: *Et ratibus longae flexum donare Maleae.* Dicta Malea a Maleo Argivorum rege, qui in ea templum pulcbrum construxit, quod Maleaticum appellavit.

v. 152. *Aequo motus.* Dubitant interpretes, quid sibi velit: *patiente et aequo animo motus*, quod inter se pugnare videantur *perferre* et *moveri* tamen *animo aequo et patiente.* Moveri autem animo aequo et patiente accipiunt, pro moveri ab animi aequabilitate et ira vinci. Qui autem moveatur ab animi aequabilitate et ira vincatur, quomodo perferet animo patiente. Quo factum est, ut in-

Referre potuit. ira, quae tegitur, nocet.
Professa perdunt odia vindictae locum.

---

venti sint, qui pro voce *motus* substituerent *mutus*, non infeliciter. Est autem tum *mutus* idem, quod premens silentio, et ultionem lingua proditrice non perdens.

v. 154. *Professa perdunt.* Tradunt critici, in manuscr. omnibus legi non *perdunt*, sed *produnt*; eamque ob causam ita legi malunt, quod haec sententia sit scita et perspicua. Simul autem notandum h. l. occurrit, quam periculosa sit inimicitiarum insidiarumque occultatio, quod patet ex illo Ciceronis orat. 3. Verr. (I, 15, 39.) quem citat et Augustinus l. 19. de civ. d. c. 5. *Nullae sunt occultiores insidiae, quam hae, quae latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possumus, occultum vero intestinum et domesticum malum non modo existit, verum etiam opprimit, antequam perspicere atque explorare potueris.* Et illo eiusdem Orat. 7. in Verr. [V, 71, 182.]: *Tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt, quam indictae et apertae.* Unde et Corn. Tac. lib. 4. Annal.: *Aperta*, scribit, *odia armaque palam depelli, fraudem et dolum obscura, eoque inevitabilia.* Hinc et Sallustius monet Caesarem: *Haud difficile esse homini strenuo hostem adversum opprimere: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu esse.* Noster ab Euripide accepit, apud quem Creon Medeae ferme eadem dicit, inquiens: quo se illa pacatiorem simulet, eo sibi amplius cavendam. Seneca pater, initio Declamationum: *Magis nocent insidiae, quae latent.* Insidiabantur Iacobo Esau, Davidi Saul; sed quia palam, frustra, effugit uterque. Ioabum nec Abner, nec Amasa effugere potuit, quia dolose iram tegebat Ioab, nec illi prius hostilem animum, quam latus fodi sibi senserunt.

MED. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese. magna non latitant mala.
Libet ire contra. NUTR. Siste furialem impetum,
Alumna. vix te tacita defendit quies.
MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
NUTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
MED. Nunquam potest non esse virtuti locus.

---

v. 155. *Levis est dolor.* Nam gravis ira nec rationem nec consilium admittit, et sumptum est hoc ex Eurip. act. 4. sub finem.

v. 156. *Clepere sese.* Subtrahere, subducere ac furari a κλέπτειν.

v. 159. *Fortuna fortes metuit.* Frequens sententia, et quasi de manu in manum tradita. Ennius annal. 7. *Fortibus est fortuna viris data.* Terent.: *Fortes fortuna adiuvat.* Sallust.: *Fortuna meliores sequitur.* Cic. Tusc. 2. *Fortes non modo fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio.* Virg.: *Audentes fortuna iuvat, timidosque repellit.* Ovid. 10. Metamorph.: *Audentes deus ipse iuvat.* et Fastor. 2. *audentes forsque deusque iuvat.* Livius lib. 8. *Eventus docuit, fortes fortunam iuvare.* Claudianus:

Fors iuvat audentes Coi sententia vatis.

Tribuit autem Coo vati hanc sententiam Claudianus, quia primus eam usurpasse fertur Philetas Cous.

v. 160. *Tunc est probanda.* Tunc, inquit, convenit uti virtute, ubi non desperes, te aliquid ea consecuturum. Alioquin non fortitudo h. e. virtus, sed desperatio dicenda.

v. 161. *Nunquam potest non esse virtuti locus.* Verum hoc aiunt esse interpretes in se, sed falsum, si referas ad id, ad quod a Medea profertur. Ratio autem, quam inter-

NUTR. Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.

---

pretes non afferunt, haec esse videtur, quod Medea et conscia sibi gravissimorum facinorum, et propositum habens his atrociora perpetrandi suam illam extrema audentis ex desperatione natam audaciam pro virtute haberi postulabat. Iam autem ulterius, idque accurate inquirendum est, quam et quatenus verum sit, quod hic dicit Medea: *Nunquam potest non esse virtuti locus.* Dubitari enim de veritate dicti non immerito potest, cum in confesso sit, virtuti saepe locum non dari seu virtute praeditis occasionem exercendae virtutis aut non concedi, aut eripi. Constat enim inter omnes, in mandandis honoribus publicis, tam ecclesiasticis, quam politicis, in quibus virtutis exercendae locus esse posset, priores ut plurimum non ferre, qui priores sunt ingenio, virtute et industria, sed qui plurimum valent gratia. Nemini autem, ut verissime docet Plin. lib. 6. Ep. 23. tam clarum ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat. Ac multos, ut non minus praeclare docet summae doctrinae vir Gerardus Vossius in orat. de utilitate historiae pag. 9. *Non ingenium, non virtus excludit, sed vel obscuri natales, vel angusta res, vel denique aliorum odium atque invidia.* De illis igitur, qui vel potentia malevolorum, vel gratia competitorum superati impediuntur, quo minus emergant, vix affirmari posse videtur, quod nunquam possit non esse virtuti locus. Quamquam ad hunc modum veritas illius adstrui posse videtur: Hominem virtute praeditum etiam in afflicto statu eius, qua praeditus est, virtutis documentum dare posse, si nullius alius, tolerantiae tamen et moderationis in rebus adversis. Manet interim verum, quod adeptus locum se virtutibusque suis dignum, et facultatem efficiendi, virtutis, qua praeditus est, fructum

MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.

---

et splendidiorem et uberiorem ad societatem humanam afferre possit. Nam quae ab afflictae fortunae homine proficiscitur virtus, aliqua quidem esse potest, sed quae nec illustris esse, nec extra ipsos ad aliorum utilitatem extendi potest.

v. 163. *Desperet nihil.* Sensus huius versiculi est: Ei, cui cuncta sunt adversa, in omnem eventum intrepide tentanda omnia. Quid enim metuat in extrema fortuna? quid malis eius adiici queat? Lucrari potest, perdere non potest, qui nihil possidet; ex desperatione nata non raro victoria. Vegetius lib. 3. de re militari cap. 22. *Ex desperatione crescit audacia; et cum spei nihil sit, sumit arma formido.* quo refert illud Virgilii:

Una salus victis nullam sperare salutem.

Seneca respexit potius ad dictum Hecatonis: *Desines timere, si sperare desieris,* quod explicat epist. 5. ad Lucil.: *Dices, quomodo ista tam diversa pariter sunt? ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena et custodem et militem copulat: sic ista, quae tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur. Nec miror ista sic ire. Utrumque pendentis animi est, utrumque futuri exspectatione solliciti.* Igitur, si, qui sperat, sollicitus est et pendet animo futuri exspectatione, et propterea timet: qui spem omnem abiecit, nulla futuri sollicitudine torquebitur et proinde timore omni vacabit. Sed qui timere nequit, quid ille vereatur attentare vel aggredi, quid se confecturum desperet? Porro videtur hic locus exigere, ut hac occasione usi eum et sententia una atque altera et exemplis nonnullis illustremus. Cuius enim eum in locum res deducta est, ut spei reliquum nihil habeat, is ad omnia pericula adeunda, imo mortem ipsam, qua negat quicquam terribilius

NUTR. Abiere Colchi: coniugis nulla est fides,

---

esse Philosophus, oppetendam, eo promptior est et audacior. Unde hic ipse noster in Oedipo 2, 2. [386.]: *Solent suprema facere securos mala.* et 4, 2. [834.]: *Tuto movetur quicquid extremo in loco est.* Amm. Marcell. lib. 16. *Solet abrupta saepe discrimina salutis ultima desperatio propulsare.* Curt. lib. 5. c. 4. *Ignaviam necessitas acuit, et saepe desperatio spei causa est.* Hinc ipse Cicero de se lib. 5. Epist. ad Fam. 21. *Animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum.* Exempla desperationis ad inexspectatam etiam victoriam progressae passim a bonis scriptoribus memoriae prodita sunt, quorum pauca saltem hoc loco recensebimus. Eorum primum suppeditabit nobis Suetonius lib. 4. c. 31. *Retiarii,* inquit, *tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: cum occidi iuberentur, unus resumpta fuscina omnes victores interemit.* Huius generis est, quod tradit Iustinus de proelio inter Crotonienses et Locrenses commisso lib. 20. ita scribens: *Cum in aciem processissent, et Crotoniensium centum viginti armatorum millia constitissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia militum habebant) omissa spe victoriae, in destinatam mortem conspirant, tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Nec alia causa victoriae fuit, quam quia desperarunt.* Memorabile est, quod de Anglorum rege Henrico ex Aenea Sylvio tradit Hippolytus a Collib. in Principe suo p. 67. *Henricum,* inquit, *quendam Anglorum regem legimus ab exercitu Gallorum circumventum, omnia quae in Gallia habebat, regi Gallo tradere voluisse, si sibi suisque abitus tantummodo permitteretur. Quod cum nulla ratione obtinere se posse videret, centuriones noctu convocatos ita allo-*

Nihilque superest opibus e tantis tibi.
MED. Medea superest. heic mare et terras vides,

---

cutus est: „Neque fugere, commilitones, neque ab hostibus incolumitatem consequi precibus nostris valemus: sola nos arma adiuvare possunt. Non est, quod numerosum exercitum formidetis. Deus iustae causae aderit, is devote iam orandus, et die crastino strenue pugnandum.“ His verbis dimissa concione, cum nox in diem abire inciperet, commisso proelio octo Anglorum millia, incredibile auditu, sexaginta hostium millia fudere, ita ut eam potissimum diem Gallorum opes fregisse scribant. Et hanc ob causam periti bellorum duces hostibus in extremas angustias redactis fugiendi locum dare solent, ne desperatione ad acrius resistendum incendantur. Quod fecisse Themistoclem in bello Graecorum contra Xerxen tradit Iustinus lib. 2. cap. 39. *Graeci,* inquit, *audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo velut victor maris fecerat, ut intercluso aditu aut cum exercitu deleretur, aut desperatione rerum pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, et iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent, satis multos hostes in Graecia remanere dictitans, nec augeri numerum retinendo oportere, cum vincere consilio caeteros non posset, servum ad Xerxen mittit, certioremque consilii facit, et occupare transitum matura fuga iubet.* Simile huic est, quod Pausanias in Messenicis tradit de Lacedaemoniis: *Lacedaemoniorum,* inquit, *duces cum occupassent Messeniorum urbem Iram, illis vehementissime repugnantibus locum fugae dederunt, homines tanquam rabie quadam percitos, et ad extremum iam desperationis progressos non amplius esse efferandos rati.*

v. 166. *Medea superest.* Cui cum nocendi peritia potentiaque et voluntas suppetit: quae quantum nocere potest, tantum nocere desiderat.

Ferrumque, et ignes, et Deos, et fulmina.
NUTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.
NUTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.
NUTR. Moriere. MED. Cupio. NUTR. Profuge. MED. Poenituit fugae.
Medea fugiam? NUTR. Mater es. MED. Cui sim, vides.
NUTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam: at ulciscar prius.
NUTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.
NUTR. Compesce verba; parce iam demens minis,
Animosque minue. tempori aptari decet.
MED. Fortuna opes auferre, non animum, potest.

---

v. 169. *Sint licet terra edita.* Negat se cuiusquam arma timere, ne Gigantum quidem, aut aliorum monstrorum terra editorum. Terrae enim filii semper monstrosi finguntur. Respicit autem Medea ad terrigenas ab Iasone ope sua debellatos.

v. 170. *Poenitet fugae.* Simile est, quod de M. Cicerone iam proscripto Livius lib. 120. tradit: *Aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi retulissent, modo ipse iactationem navis caeco volvente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit.* Utrumque hic a Medea quoque coniungitur. Nam et mori se cupere, et fugae poenitere testatur.

v. 176. *Fortuna opes auferre, non animum, potest.* Dubium non est, quin hoc ex Attii Telepho sumpserit noster, in quo Telephus inquit: *Nam si a me regnum fortuna at-*

Sed cuius ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creon.

---

que opes eripere quit, at virtutem nequibit. Est autem notandum h. l. *animum* pro potestate, viribus et habitibus, seu pro fortitudine, constantia, virtute animi positum esse. Ita apud Nonium in Neoptolemo Attius: *Viri ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam.* Quod autem animus et virtus hominis extra fortunae aleam posita sint, etiam ex illo Senecae nostri lib. de provid. extrem. patet: *Contemne,* inquit, *fortunam, nullum illi telum, quo feriret animum, dedi.* Unde et Cicero Philip. 4. [c. 5.]: *Omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.* Ideo virtutem nobis propriam et sempiternam esse censuerunt. Quo pertinet illud Varronis in Caprino proelio: *Virtutem propriam mortalibus fecit; cetera promiscue voluit communia haberi.* Recte. Nam quod proprium, suum cuique, et quod suum, extra fortunae ius: sin ea dari tollique consuevit, proprium nobis dici non meretur. Viderunt id antiqui poëtae. Unde Attius armorum iudicio: *Fors dominatur, neque vita ulli propria in vita est.* Ubi vitam vocat ipsum vitae fructum, et caducorum bonorum fructionem. Seneca noster (ut ad rem redeam) *animum* h. l. pro fortitudine posuit, quam Attius simpliciter virtutem dixit, quod tritum veteribus, quia virtus a viro dicta, et viri fortitudo propria testib. Plutarcho in vita Coriolani et Cic. Tusc. 2.

CREON. MEDEA.

Creon Medeam in exsilium propere abire imperio urget: illa diei unius moram vix impetrat.

CR. Medea, Colchi noxium Aeetae genus,
Nondum meis exportat e regnis pedem?
Molitur aliquid. nota fraus, nota est manus.
Cui parcit illa? quemve securum sinit?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Concessa vita est. liberet fines metu;
Abeatque tuta. fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius affatus petit.
Arcete, famuli, tactu et accessu procul.
Iubete, sileat. regium imperium pati
Aliquando discat. vade veloci via,
Monstrumque saevum, horribile, iamdudum avehe.

---

v. 179. *Aeetae genus.* Medeae pater fuit Aëtas, Solis filius, ut tradiderunt Herodorus, Dionysius Milesius et ceteri. Varias ille uxores duxit, quo fit, ut ignoretur, quaenam illarum fuerit Medeae mater. Plerique credunt Idyiam. Epimenides censet matrem ei fuisse Ephyren. Dionysius Milesius lib. 1. Argonaut. Hecaten, auctor Naupacticorum Eurylyten, Sophocles Neaeram, Apollonius Asterodiam, Eumelus et Diophanes Antiopen. De his videndus est Scholiastes Apollonii lib. 3. [242.*)] et Diod. Siculus lib. 4. [c. 45.] Biblioth. Ad scenam porro hanc quod attinet, conferenda cum actu 2. Eurip. [v. 214 sqq. ed. Barn.] unde desumpta **).

*) Locus correctus e schol. IV, 86.

**) Delrius.

MED. Quod crimen, aut quae culpa mulctatur fuga?
CR. Quae causa pellat, innocens mulier rogat.
MED. Si iudicas, cognosce: si regnas, iube.
CR. Aequum atque iniquum regis imperium feras.
MED. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. MED. Redeo. qui advexit, ferat.

---

v. 194. *Si iudicas cognosce.* Hoc vult dicere: Si rex iustus es, de causa mea cognosce: *si regnas*, si tyrannus es, et quod vis, iubes, si tibi voluntas pro ratione, si ex libidine, non iure, imperas, inaudita causa me eiice. Aptissime autem paulo post respondet Creo: *vox constituto sera decreto venit*, indicans se plene cognovisse: nam decretum nihil aliud est, quam quod causa cognita pronunciatur, ut docent Brisson. lib. de verb. signif. col. 167. et Fr. Hotomannus in comment. verb. iur. mihi pag. 104.

v. 195. *Aequum atque iniquum.* Qui se regiae potestati committit, omnem amittit potestatem; necessario regi, cui se subiecit, obediendum. Etsi enim liber eo venerit, sui iam iuris esse desinit, ut docuit Sophocles iis versibus, quos in Aegyptum fugiens Pompeius pronunciavit, et refert Plutarchus in vita Pompeii [c. 78.], et in lib. de utilitate ex poëtis capienda [T. II. p. 33. D.]. Iam quod de hero Plautus, ad regem non inconvenienter transferri potest: *Indigna digna habenda sunt, rex quae facit.* Praeclarum est in hanc sententiam illud Taciti lib. 4. Hist. *Quomodo sterilitatem aut nimios imbres, et cetera naturae mala, sic nos improbitatem dominantium iubet tolerare.*

v. 197. *Qui me advexit ferat.* Pro *advexit* legi malunt interpretes *avexit*, et male substitutum queruntur *advexit.* Hanc autem volunt esse sententiam: Qui me adduxit, reducat; cur illum retines, me fugas?

Cr. Vox constituto sera decreto venit.
Med. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

---

v. 198. *Vox constituto.* Sero quereris lata sententia; prius oportuit.

v. 199. *Qui statuit aliquid.* Tyrannicum est una tantum parte audita iudicare. Hoc enim pacto defensio, quae iuris naturalis est, et nemini debet adimi, tollitur. Hinc est, quod inauditi damnari non possunt. Quo pertinet illud Apuleii lib. 10. de Asino. *Nec adinstar barbaricae feritatis vel tyrannicae impotentiae damnaretur aliquis inauditus, et in pace placida tam dirum seculo proderetur exemplum.* Hinc illud Tertull. in Apologetico: *Respondendi altercandique potestas patet, quando nec liceat inauditos et indefensos omnino damnari.* Olim si inauditi condemnati fuerant, necari non poterant: quoniam inauditi pro indemnatis habebantur, et indemnatos leges decemvirales interfici prohibebant, teste Salviano Episcopo lib. 8. de iudicio et providentia Dei, Lycurgi legum imitatione, quibus idem cautum fuit, teste Valer. Max. lib. 7. *sapienter dicta vel facta.* Illud omnino constat, nisi audiantur partes, et causae agitentur, neminem recte iudicare posse: sed tamen iudicem recte facturum, si inanes quasdam disputationes causidicorum et pugnas verborum, quae magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis, amputaverit: qua de re eleganter et copiose D. Bernhardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium, ubi nonnulla habetis ad officium Advocatorum spectantia: quemadmodum et apud D. Augustinum epist. 50., Quintilianum lib. 12. Institut. orator. cap. 7. et Franciscum Patritium lib. 3. de Institutione reip.

CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit.
Sed fare. causae detur egregiae locus.
MED. Difficile quam sit animum ab ira flectere
Iam concitatum, quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua coepit, ire; regia didici mea.
Quamvis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique

---

v. 201. *Pelia.* Vocandi casus est, pro nominandi, more Graeco, εὐρυόπα Ζεύς.

v. 204. *Quamque regale hoc putet.* Iram conceptam non facile deponere, commune omnium ferme, sed regum quasi peculiare vitium. Unde Euripides tyrannos, ait, iras leviculis de causis conceptas pertinaciter fovere, nec facile deponere [Med. 120. Barn.]: ὀλίγ᾽ ἀρχόμενοι πολλὰ κρατοῦντες χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσι. Ac nolunt illi in melius mutare sententiam, quia regium id putant. Cuius rei pulchra exempla afferuntur a Seneca lib. 3. de Ira cap. 16. cum seq. Ad nostrum institutum facit illud Senecae lib. 3. de Ira cap. 29. *Nos primum impetum sequimur, deinde quamvis vana nos concitaverint, perseveramus, ne videamur coepisse sine causa; et quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae; retinemus enim illam et augemus, quasi argumentum sit iuste irascendi graviter irasci. Quanto melius est, initia ipsa perspicere, quam levia sint, quam innoxia.* In genere de ira non diu fovenda tenendum est illud Ciceronis lib. 1. Off. p. 18. [I, 25, 88.]: *Non audiendi sunt, qui graviter irascendum inimicis putant, idque magnanimi et fortis viri esse censent. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia.*

Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat,
Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt,
Palustribus qua maria dulcescunt aquis,
Armata peltis quidquid exercet cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis:

V. 209. *Nobili fulsi patre.* Sc. Aeeta. Matrem habuit Medea, ut creditur, Idyiam. Cic. ipse hoc docet 3. de Nat. Deor. [19, 48.]: *Quid Medeae respondebis, quae duobus avis Sole et Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata est.* Idem scribit Hesiodus in Theogonia. Ex quo manifestus redditur error Ovidii in Epist. Helenae ad Paridem: *Non erat Aeetes, ad quem despecta veniret, Non Ipsaea parens, Chalciopeque soror.* Debet enim pro *Ipsaea* legi *Idyia.*

v. 213. *Palustribus qua maria.* Cur mare Ponticum, quod hic vocatur Pontus Scythicus, ut ait Sallust. in lib. histor. dulcius sit, quam cetera, hanc ipsam rationem praestantes Geographi reddiderunt. Ingressu autem, ait Plinius, tot fluviorum vincitur sal, quod idem in libris de Ponto testatur Ovid. De Ionio mari simile quid ad Acherontis fl. ostium prodit Strabo lib. 7. Ut autem ad Pontum nostrum Scythicum redeamus, tradunt de eo Geographi, eum tot fluminum affluxu limo impleri et aggere, adeo ut Strabonis aevo sinistra iam Ponti pars inde in paludem fuerit conversa. Qua de re videndi Strabo lib. 1. et Polybius lib. 4. Neoterici tamen oculati testes id verum esse negant: sed Seneca sui aevi scriptores secutus est.

v. 214. *Armata peltis cohors.* Amazonum genus. Virgil. Aen. 2. *Pelta* i. q. scutum.

v. 215. *Ripis Thermodontiis.* Thermodon Suidae fluvius

Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi. petebant tunc meos thalamos proci,

---

est Themiscyrae (quae est regiuncula Cappadociae contermina) Amazonum sedibus nobilitatus. Quod et Virgilius innuit Aen. 11. v. 659. ita scribens:

Quales Threïciae quum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis.

Ib. *Vidua.* Sunt qui viduam recte dici putant non eam tantum, quae aliquando nupta fuit, sed eam quoque, quae virum non habuit, qua in sententia sua confirmanda utuntur testimonio Labeonis. Cum autem h. l. in mentionem Labeonis inciderimus, quid de eo sentiendum sit, etiamsi hoc ad nostrum institutum praecipue non pertineat, obiter tamen indicabimus. Est enim hic idem ille Labeo, quem Horat. Serm. lib. 1. [sat. 3, 82.] *insanum* appellat. Eius convitii vulgo rationem reddunt contumaciam Labeonis erga Augustum. Aliam causam affert Pomponius lib. 1, 2. [47.] circa finem *D. de orig. iuris*, ubi scribit: *Atteius Capito in iis, quae ei tradita erant, perseverabat, Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, quia et ceteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit.* Hactenus Pomponius. Iam, ut haec paulo uberius explicentur, videmus vulgo eos, qui a praeceptorum traditionibus recedunt, qui illorum traditiones convellunt, novas ipsi comminiscuntur, quantumvis iure id faciant, a plerisque contemni, rideri, temerarios denique, impudentes ac stultos nuncupari, quod Labeoni verisimile est contigisse, ut sc. a vulgo despiceretur, et insanus vocaretur, quod primus maiorum sententias negligeret, plurimaque innovaret. Cum vulgo igitur Horatius locutus est: aut si non vulgi, sed suam ipsius de Labeone sententiam expromsit Horatius isto versu, illud poëtae

Qui nunc petuntur. rapida Fortuna ac levis,
Praecepsque regno eripuit, exsilio dedit.
Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus. hoc reges habent
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere. solum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Graeciae florem inclitum,

---

de viro gravissimo et iurisconsultorum principe iudicium non ratum statim habendum est. Non enim plus credendum est hoc affirmanti Horatio, quam A. Gellio, qui lib. 13. [12.] praeclare de eo sentit, quam Octavio Augusto, qui si insanum eum iudicasset, consulatum ei non detulisset, autore Pomponio in d. l. 2. quam Suetonio, qui lib. 2. [Aug. 54.] quiddam hominis constantissimi de illo refert. Deinde quia poëta lyricus tam contemptim de Iustitiae sacerdote sentit, et eum insanum vocat, propterea non omnia Labeonis scripta reiicienda sunt, quae in iure civili praesertim extant egregia et magni usus.

v. 226. *Graeciae florem.* Eodem nomine Heroas illos Graecos, qui ad aureum vellus auferendum navigarunt, vocat Theocritus in Hyla, cuius hic est versus: *Τῆμος ναυτιλίας μιμνάσκετο θεῖος ἄωτος Ἡρώων.* Sed praestantibus viris floris nomen ab aliis etiam scriptoribus tribuitur: unde Aeschylus in Persis [250.]: *Τὸ Περσῶν δ' ἄνθος.* Et in Agam. [205.]: *Ἄνθος Ἀργείων.* Sic Livius lib. 8. *Prima frons in acie florem iuvenum pubescentium ad militiam habebat.* Quomodo et Lucanus ait: *Tunc flos Hesperiae, Latii tunc sola iuventus;* Ausonius in Centone nuptiali ex Virgil.: *Flos veterum virtusque virum;* Fabius Declamat. 276. *Florem aetatis amisit.*

Praesidia Achivae gentis, et prolem Deûm

---

v. 227. *Praesidia Achivae gentis.* Inde illud Ennii: *Argo, qua vecti Argivi delecti viri;* et Catulli: *Cum lecti iuvenes Argivae robora pubis.*

Ib. *Prolem deûm* vocat, quemadmodum Theocr. in Geminis: θεῶν φίλα τέκνα, et Catullus: *Heroes salvete deûm genus.* Manil. etiam lib. 1. [422.] Argonautas deos appellavit, sic scribens: *Servando dea facta deos.* Non igitur ridicula est, quam voluere Maserius et Carrio, eorum sententia, qui apud Val. Flacc. initio lib. 1. legunt:

Prima deûm magnis canimus freta pervia nautis.

Mira porro varietas est apud Graecos sententiae de reditu Argonautarum in patriam. Timagetus lib. 1. περὶ λιμένων scribit: Istrum ex Germaniae montibus ortum in Germanicam paludem magnam defluere, mox in duo scindi brachia, et unum in Germanicum mare, alterum in Euxinum porrigere, et per prius illud navigasse Argonautas, et in Hetruriam pervenisse, quod idem refert etiam Apollonius. Herodorus Ephesius, qua venerint, via rediisse tradit. Hecataeus Milesius ex Phasi in Oceanum, ex Oceano in Nilum, ex Nilo in nostrum mare navigasse asserit: quod Artemidorus Ephesius, ut et Eratosthenes refellit lib. 3. Geogr. quia Phasis Oceano se infundit. Scymnus autor est, in magnum mare per Tanaim navigasse, inde in Hellespontum. Hesiodus et Pindarus in Pythionicis et Antimachus in Lyde, per Oceanum in Libyam appulsos navim humeris portantes ad Mediterraneum pervenisse canunt. Callimachus et Sophocles Herodoro assentiuntur. De hisce videndus Scholiastes Apollonii lib. 4. [284.] Nimiam porro in harum sententiarum verissima inquirenda operam ponere neque nos volumus, neque cuiquam, ut faciat, autores sumus, quae maioris usus scientiae debetur.

Servasse memet. munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet, et silvas trahit,
Geminumque munus Castor et Pollux meum est,
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;

---

v. 228. *Orpheus.* Orpheum matre Musa natum scribit Cic. 3. de N. D. Eius cantui fidibus tribuunt vim veteres non tantum homines, sed feras etiam bestias, imo arbores et saxa attrahendi. Inde Propert. lib. 3. eleg. 1. [41.]:

Orpheu, te tenuisse feras, et concita dicunt
Flumina Threïcia detinuisse lyra.

Ovid. 3. de arte am.: *Saxa ferasque lyra movit Rhodopeïus heros.* Horat. lib. 1. oda 12. *Blandum et auritas fidibus canoris* etc. Cassius Parm.: *Donec ridiculus dudum* etc. Prolixe vero de hac Orphei musicae efficacia Seneca noster Herc. Oetaeo Act. 3. Sc. 3. [1031.]: *Verum est* etc. Epimythion huius figmenti extat apud Horat. de art. poët. [391.]: *Sylvestres homines sacer interpresque Deorum caedibus et foedo victu deterruit Orpheus.* Notabile, quod de Orpheo memoriae prodidit Pausanias lib. 2. Eliacor. Aegyptius quidam, inquit, censebat Amphionem et Orpheum, etsi Thrax diceretur, Aegyptios fuisse. Propterea vel alteri feras allicere, alteri vel saxa ad muros exstruendos movere attributum, quod uterque magorum scientia excellerent.

v. 231. *Satique Borea* sunt Zethus et Calais, quod docet Apollon. Rhod. Argonaut. 1. *Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο, οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια Ἐσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου.*

v. 232. *Summota Lynceus.* Lynceum Tzetzes mortalium omnium visu acutissimum certissimumque vocavit, et ex Stasino in Heroum gestis refert, ex Taygeti cacumine to-

tam Peloponnesum oculis lustrare potuisse, et vidisse Tyndaridas geminos in cava quercu latitantes. Unde et Pindarus apud Pausaniam lib. 4. ait, eum in quercetis medios arborum truncos visu penetrasse, et Apollonius Argonaut. lib. 1. quae sub terra erant, vidisse. Valerius Flaccus ita de eo canit:

— — — — — *Possit qui rumpere terras*
Et Styga transmisso tacitam deprendere visu.
Fluctibus e mediis terras dabit ille magistro,
Et dabit astra rati; cumque aethera Iuppiter umbra
Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.

Plin. lib. 2. Nat. hist. c. 7. orbem lunae visu transmisisse. Plutarch. lib. de percipienda ex hostibus util. et in lib. contra Stoicos, per arbores et saxa longissime dissitis portubus solventes naves cernere solitum. Quo loco id quoque notandum est, inveniri, qui tradant: In Hispania genus hominum oculatissimorum esse, quod Lynceos vel Zahuris vocant, ea visus perspicacia, ut, quo loco sub tellure fontes aquarum, et si quid aliud sub ea, vel sub sarcophagis lateat, clare perspiciant, imo et viscera et penita quaeque humano in corpore. Haec credit vulgus, nec vulgus tantum, sed ex doctis etiam nonnulli, ut Caelius lib. 16. Antiq. lect. c. 2. Nos tamen, qui nescire, errare, labi turpe cum Cic. ducimus, vel stultae illi vulgi credulitati, vel doctorum cuiuscunque generis opinioni assensum praebere in tanta rei absurditate nequaquam debemus propter hanc rationem allatam ab Aristot. lib. 2. de Anima cap. 6. quod terra vel lapides propter opacitatem et densitatem suam non possint esse idoneum medium, quod visivas species recipiat, cum illuminationis expertia sint: aut si qua illis diaphaneitas, ut illi contendunt et vocant, illa satis magna esse non potest. Quare quaecunque sint huius generis, quemadmodum naturae vim superant, ita si fiant malis artibus fieri credendum est; idque confirmatur non levi indicio, quia vim huius-

Omnesque Minyae. nam ducum taceo ducem:

---

modi ad certos dies restringunt, quod vix potest superstitionis vitio aut suspicione carere.

Ib. *Lumine immisso.* Radiis emissis ab oculo in ipsum obiectum. Stoici enim visionem fieri emissione radiorum credebant, non per speciei introsumptionem beneficio externi luminis, ut Aristoteles. Cum Stoicis sentiunt Platonici et Pythagorei, Euclides, Plutarchus, Galenus, Priscianus, Lydus, D. Gregor. Nyssenus, Nemesius et alii plerique antiquorum. Nec desunt neoterici pereruditi philosophi, ut Bessario Card. Graecus, Cardanus et Christoph. Marcell. Itali, Sebast. Foxius et Franc. Valles, Hispani. Sed conciliare discidium nituntur Gab. Baratellus lib. 5. conciliat maxime fol. 157. et Carpentarius Digress. 7. in Alcinoum. Seneca noster cum ait: *Lumine immisso,* intelligit internum illum splendorem, quem iidem Stoici et reliqui in oculis ponebant, de quo videndus Galenus lib. 7. de placitis. Plerique Peripatetici cum Averroë id reiiciunt, sed nos hoc loco id non agimus, ut ostendamus, utra sententia verior sit, sed ut auctoris nostri sententiam investigemus. Accuratam autem quaestionis huius disquisitionem professori Physices relinquimus.

v. 233. *Minyae.* Apollonius vult sic dictos Argonautas, quod eorum praestantissimi Minyae erant, h. e. Thessali. Nam Minyae postea generali nomine Thessali nuncupati ab Orchomeno Thessaliae fluvio, qui prius Minyeus vocatus fuerat, teste Plinio lib. 4. c. 7. proprie vero, ut autor est Demetrius Scepsius, sic dicti, qui Iolcum incolebant, de quibus videndus Scholiast. Apollonii in lib. 1. v. 230. De his igitur Minyis agit hoc loco Seneca. Fuerint et alii Minyae, incolae Orchomeni Boeotiae oppidi, sic dicti a rege Minya, teste Pausania in Boeoticis et Homeri Scholiaste.

Pro quo nihil debetur. hunc nulli imputo.
Vobis revexi ceteros, unum mihi.
Incesse nunc, et cuncta flagitia ingere;
Fatebor. obiici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. virgini placeat pudor,
Paterque placeat; tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus. hic tuus primum gener
Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, qua volet, nostram premat.
Non poenitet servasse tot regum decus.
Quodcunque culpa praemium ex omni tuli,
Hoc est penes te. si placet, damna ream:
Sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo.
Talem sciebas esse, cum genua attigi,

---

v. 236. *Cuncta flagitia ingere*, obiice, quaecunque crimina voles.

v. 240. *Pelasga tellus.* Sumitur pro tota Graecia, potissimum tamen pro Thessalia. Nam Pelasgi proprie sunt Thessali et Argivi. Sophocles in Inacho Argivos vocat Pelasgos. Scholiastes Apollon. in 1. libr. tradit: Pelasgum Argivum in Thessaliam venisse, eamque ab illo dictam Pelasgiam, quanquam et Tyrrheni Pelasgi sunt vocati. Argivi vero dicti vel a Pelasgo Neptuni aut Inachi filio, vel a Pelasgis quibusdam Barbaris, qui Argos et Thessaliam occuparunt.

v. 242. *Qua volet.* Premat fortuna, ut volet, nostram causam, iniqua sit, quomodo libet.

v. 247. *Genua attigi.* Sic Medea apud Euripidem [v. 714. Musgr.]: *Ἀλλ' ἅπτομαί σε τῆσδε πρὸς γενειάδος γονάτων τε τῶν σῶν: At oro te per hanc ego caesariem, et per tua genua supplex fio tibi.* Moris hujus rationem physicam

Fidemque supplex praesidis dextrae petii.

---

reddit D. Isidorus Orig. lib. 11. cap. 1. *Genua, inquit, sunt commissiones femorum et crurum, et dicta genua eo quod in utero sint genis opposita. Cohaerent enim sibi, et cognata sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiae. Nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi ac reconditi fiant. Unde illud Ennii: Genua comprimit arta gena. Inde est, quod homines, dum ad genua se prosternunt, statim lacrymantur. Cogit enim eos natura uterum maternum rememorari, ubi quidem in tenebris considebant, antequam ad lucem pervenirent.* Unde illud apud Plaut. Cistell. 2, 3. *Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans.* — De hac re nonnulla invenias apud Servium in lib. 3. et 10. Aen. Plura apud Eustath. in lib. 1. Il. et Pierium lib. 35. Hieroglyph. Vestigia prisci moris amplectendi genua extant apud Hom. lib. 1. et ult. Iliad. Odyss. δ et ν, Euripidem in Hecuba, Virgil. 3. et 10. Aen., Ovid. 9. et 13. Metamorph., Plautum in Rudente, Livium lib. 45. et passim apud Sueton., Tacitum, Appuleium. Non autem supplices tantum, sed etiam salutantes genua tangere solitos, Sueton. in Tiberio et alibi docet.

248. *Petiique supplex Praesidis dextrae fidem.* Dextras olim firmandae promissioni iungi solitas testimonio multorum constat. Ovidius Metam. 6. ut pignus fidei dextras utrinque poposcit. Noster in Thyest. v. 763. ait datas fidei manus. Romani, quando invicem post civilis belli discidia reconciliabantur, mutuo dextras aureas argenteasve mittebant. Isidorus lib. 11. cap. 1. Dextra vocatur a dando. Ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fides testis atque salutis adhibetur. Unde apud Tullium: *Fidem publicam iussu senatus dedi,* exponunt nonnulli:

Terra hac miseriis angulum et sedem rogo,
Latebrasque viles. urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
Cr. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,

Dextram dedi. Inde etiam est, quod Apostolus ait: Iacobum et Ioannem dextras sibi dedisse. Praeterea *porrigebant* olim *hospites* hospitibus, et hospes hospitis dexteram apprehendebat; ut apud Homerum Nestoris filii et Telemachus in Odyss. Ciceronis hoc est in orat. pro Deiotaro: *Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti.* Supplices etiam dexteram postulabant et apprehendebant eius, cuius se fidei credebant: hic dextera porrecta, se in fidem illos suscipere, et securitatem promittere significabat, ut autor est Eustath. lib. 1. Odyss. Sic Il. ω. Priamo dextram dat Achilles, ut hoc pignore confirmet trepidantem. Amm. lib. 21. histor. de Nebridio: Supplicem iacentem orare, ut levandi causa timoris ei porrigeret dexteram. Et quid ait, praecipuum servabitur amicis, si tu manum tetigeris meam. Ita Aemil. Probus in Themistocle: *Rex eum data dextera in fidem reciperet.* Scholiastes Aristophanis diserte hunc morem dextras iungendi ad firmandam fidem valere innuit, cum ita scribit: *Ἔθος δ' ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις: Mos fuit in fide et foederibus ineundis dextras invicem dare.* In salutationibus idem factitatum innuit Varro relatus a Caelio lib. 4. antiq. lect. cap. 3.

v. 252. *Non esse me.* Desumptum hoc est ex Euripide, ubi ita Creo: *Ἥκιστα τοὐμὸν λῆμ' ἔφυ τυραννικόν: Minime mihi animus est tyrannicus.*

v. 253. *Miserias calcem pede.* Grave crimen miserorum

Testatus equidem videor haud clare parum,
Generum exsulem legendo et afflictum et gravi
Terrore pavidum. quippe te poenae expetit
Letoque Acastus, regna Thessalica obtinens.
Senio trementem debili atque aevo gravem
Patrem peremtum queritur, et caesi senis
Discissa membra; cum dolo captae tuo
Piae sorores impium auderent nefas.

---

oppressio. Plato in Minoë monet, ne quis calamitosos et pauperes despiciat, eo quod Deum solum adiutorem habent: nec ullum tam severe inimicum ulcisci, ac Deus solitus sit miserorum oppressores.

v. 257. *Acastus.* Peliae filius rex Thessaliae, cuius primus rex Deucalion Promethei f. Iapeti nepos iuxta Apollonium et Hellanicum Histor. Deucalioneae lib. 1. Tota autem Thessalia dividitur in *Πελασγιῶτιν*, *Θεσσαλιῶτιν*, *Ἰωλκῖτιν*, *Φθιῶτιν*, teste Apollodoro in Catalogo. Acastus secundae portioni iure imperabat, Iasoni iure tertia debebatur, sed Pelias illam quoque usurparat. Ideo hoc loco a nostro dicitur filius, eius regna Thessalica obtinens.

v. 259. *Patrem peremptum.* Peliam sc. Ovid. in Metamorph. latissime historiam illam ex Polycratis Samii traditione prosequitur.

v. 261. *Piae sorores.* Recensentur quatuor filiae Peliae: Alcestis, Amphinome, Evadne, Pelopia, sorores Acasti: vel juxta Apollodorum, Pisidice, Pelopea, Hippote et Alcestis; de quibus videndus Diodor. lib. 5. Bibliothec. et Apollonius lib. 1. Argon. Notanda autem est hoc loco elegans *Ἀντανάκλασις*, seu, ut Latini vocant, contrariae significationis figura, de qua Fabius lib. 9. Institut. cap. 3.

Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri: nullus innocuum cruor
Contaminavit. abfuit ferro manus,
Proculque vestro purus a coetu stetit.
Tu tu malorum machinatrix facinorum,
Cui feminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famae memoria est,
Egredere, purga regna; letales simul
Tecum aufer herbas. libera cives metu.

Seneca noster imitatur h. l. Ovidium, qui lib. 7. Metamorph. de hac ipsa re:

His, ut quaeque pia est, hortatibus impia prima est
Et ne sit scelerata, facit scelus.

Et lib. 8. *Impietate pia est.*

Observandum porro in hoc ipso nostro Seneca, eum frequentem esse in his coniugatis, sive vocibus eiusdem originis connectendis. Inde est illud in Her. Fur.:

Et mortis dominus pertimuit mori.

In Medea: — — *Pars sanitatis velle sanari fuit.*
Hippolyto: — — *Scelere velandum est scelus.*
Item ibid. — — *Mori volenti deesse nunquam mors potest.*
Oedipo: — — *Timet timentes, metus in auctorem redit.*

Sic Aeschylus: *Ἄδωρα δῶρα.* Eurip. *Νύμφην ἄνυμφον, παρθένον ἀπάρθενον.* Alii: *Ταφὴν ἄταφον,* quod optatus lib. 3. vocat insepultam sepulturam. Cicero innuptas nuptias.

v. 270. *Tecum aufer herbas.* Eas sc. quibus ad veneficia uteris. Accepit autem illud genus herbae nomen a Medea, dictum Ephemerum, adeo deleterium et lethale, ut eodem die enecet, unde ita dictam vult Theophrastus. Ad

Alia sedens tellure sollicita Deos.
MED. Profugere cogis? redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. fugere cur solam iubes?
Non sola veni. bella si metuis pati,
Utrumque regno pelle. cur sontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis iacet.

---

formam herbae quod attinet, est hellebori folio, radice rotunda, Latinis dicitur bulbus agrestis, diversum ab alio Ephemero, cui oblonga radix, caulis lilio similis, Iris agrestis dictum: Meminit huius Medeae Ephemeri Nicander in Alexipharmacis, ubi ita canit:

Ἠδὲ τὸ Μηδείης Κολχηΐδος ἐχθόμενον πῦρ
Κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον, οὗ παρὰ χείλη
Δευομένου δυσάλυκτος ἰάπτεται ἔνδοθι κνηθμός etc.
Si quisquam infestos Medeae Colchidos ignes
Incautus gustavit Ephemeron, ille repente
Uritur internis saeva prurigine labris.

Hanc ergo praecipue herbam iubetur asportare. Cum enim plurima nascatur in Colchide et prope Tanaim, teste Graeco Nicandri Scholiaste, verisimile est hanc quoque secum attulisse et asservasse Medeam, ut colligitur ex versu inf. 677.

v. 271. *Sollicita.* Malis carminibus et sceleribus Deis esto molesta.

v. 275. *Cur sontes duos distinguis.* Add. paraph. Iniquum est enim iis, quorum pars est causa, non idem ius dicere. Pertinet huc illud Ciceronis Off. 1. mihi p. 18. [1, 25, 89.] *Cavendum est, ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.*

v. 276. *Illi Pelia, non nobis iacet.* Hoc vult dicere: Nocentem esse cui scelus prodest, Cassianum iudicium secuta, de quo Cicero pro Sext. Rosc. Amerino: *L. Cassius*

Fugam, rapinasque adiice; desertum patrem,
Lacerumque fratrem. quidquid etiamnum novas
Docet maritus coniuges, non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.

---

ille, quem pop. R. verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat: cui bono fuisset, et addit Cicero: *Sic vita hominum est, ut ad scelus nemo sine spe conetur atque emolumento accedere.* Idem Cic. in Miloniana hoc argumento conatur docere, Clodium occidendi Milonis animum habuisse. Huc pertinet illud Fabii Declamat. 387. *Quare ergo mater sepelivit? nescio, hoc unum dico, non poterat agnosci. Festinavit; cui bono?* Eo forte Seneca respexit infra Actu 3. cum ait: *cui prodest scelus, Is fecit.* Sic Gorgias in defensione Palamedis asserit neminem gratis foedum facinus committere, aut magno se obiicere discrimini; cuncta cunctos facere, vel ut lucrum faciant, vel ut iacturam ne faciant. In eandem sententiam Salvianus Massiliens. lib. ad Eccles. *Numquid est ullus hominum, qui non omnia, quae fecit, vel salutis suae vel certe utilitatis gratia faciat? Nemo opinor. Omnes enim ad affectum atque appetitum utilitatis suae, naturae ipsius magisterio atque impulsione ducuntur.* Appuleius Apolog. 1. *Scires omnium factorum rationes diligentius examinandas, ac saepius causas quaeri, facta concedi, eoque etiam patronos litigatorum causidicos nominari, quod, cur quaeque facta sint, expediant.* Caeterum negare factum facilis res est, et nullo patrono indiget: recte factum vel perperam docere, id vero multo magis arduum et difficile est. Frustra igitur an factum sit, quaeritur, quod nullam malam causam habuit, ut fieret. Ita facti reus apud bonum iudicem scrupulo quaestionis liberatur, si nulla fuit ei ratio peccandi.

Cr. Iam exisse decuit. quid seris fando moras?
Med. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
Cr. Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
Med. Per ego auspicatos regii thalami toros,
Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema natis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. Cr. Fraudibus tempus petis.
Med. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?
Cr. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
Med. Parumne miserae temporis lacrimis negas?
Cr. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exsilio dies.
Med. Nimis est, recidas aliquid ex isto licet.
Et ipsa propero. Cr. Capite supplicium lues,
Clarus priusquam Phoebus attollat diem,

---

v. 293. *Parumne miserae temporis.* Adeone durus es, ut miserrimae mulierculae exiguam fundendis lacrymis morulam deneges?

v. 298. *Clarus priusquam.* Expressum est hoc ex Medea Euripidis, apud quem ita Creo: *Εἴ σ᾽ ἡ ᾽πιοῦσα λάμπας ὄψεται θεοῦ καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός, θανεῖ. Si te adspiciet posterum Dei iubar Ac filios tuos intra huius terrae limites, moriere.* Ex quo Ennius in Medea: *Si te secundo lumine hic offendero, moriere.* Pertinet autem ad hanc petitionem unius diei induciarum Medeae illud Appuleii lib. 1. de asino aureo seu Metamorph.:

Nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenaeo dies.

CHORUS.

Chorus in audaciam navigantium invectus primos nautas dignum audacia sua retulisse praemium canit, scilicet Medeam.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,

Ut illa Medea unius diei impetratis a Creonte induciis totam domum eius filiamque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat. Apud Attium Medea de his induciis ait: *Ille transversa mente mihi hodie tradidit repagula, quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo: Mihi moerores, illi luctum, exitium illi, exsulium mihi.*

v. 300. *Vocat precari.* Admonet et vellit aurem, ut abeam ad Hymenaeo preces offerendas, carmen etiam nuptiale concinendum.

v. 301. *Audax nimium.* De audacia primorum nautarum multa Oppianus Halieut. et Propert. lib. 3. Eleg. in obitu Paeti. Sophocles etiam in Antigones Act. 2. [332.]: *Πολλὰ τὰ δεινὰ κοὐδὲν ἀνθρώπου δεινότερον πέλει. τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν πόντου χειμερίῳ νότῳ χωρεῖ περιβρυχίοισι περῶν ἐπ᾽ οἴδμασι* etc. *Plurima ubique stupenda videmus, sed nihil aeque stupendum atque hominem natura parens protulit unquam; ille canas aequoris undas obruentibus ratem fluctibus transire aquas, dum saevit notis hyems protervis.* Quo pertinet illud Horat. lib. 1. Oda 3. *Illi robur et aes triplex* etc.

Animam levibus credidit auris,
Dubioque secans aequora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitae mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

---

v. 304. *Levibus auris.* Ita auras leves vocat etiam Ovidius lib. 1. Metamorph. ita scribens: *Et levis impulsos retro dabat aura capillos.*

Ib. *Credidit* a proprio dixit. Ita Lucilius sat. 28.

Vitam ac fortunas cui crediderim meas?

Virgil. Aen. 5. *Aeneam quid enim credam fallacibus austris?* Et Horat. lib. 1. Od. 3. *Navis tibi creditum debes Virgilium.* Quo pertinet et illud Tibulli: *Prima ratem ventis credere docta Tyros.*

v. 306. *Potuit tenui fidere ligno.* Simili modo Iuvenalis: *I nunc et ventis* etc.

v. 308. *Nimium gracili limite ducto.* Anacharsis cum didicisset, navis crassitudinem esse quatuor digitos, tantum, inquit, a morte absunt, qui navigant. Porro per hanc occasionem, quod poëta audacem nimium illum vocat, qui primus navi conscensa mare ingressus sit, dicendum videtur aliquid de autore navigationis. Poëtae censent primum Iasonem cum Argonautis navigasse: unde Manilius lib. 1. *Tum nobilis Argo In coelum subducta, mari quoque prima cucurrit, Servando dea facta deos.* Testatur idem Ovid. cum ita canit:

Per mare non notum prima petiere carina.

Et inde mutuatus noster infra versu 363. *Merces prima digna carina.* Idem Sallust. tradit apud Priscianum lib. 6. Idem, quotquot Argonautica scripserunt: Graeci quidem Orpheus Crotoniata, Epimenides, Cleon, Herodorus, Apollonius, Dionysius Milesius; Latini Catullus, Varro Atacinus, Valerius Flaccus. Quod tamen si de navi lon-

Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur aether,
Non erat usus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates:

---

ga intelligatur, verum non esse tradit Diodorus lib. 5. Illam enim prius ex Aegypto adduxerat Danaus. Sed et ratibus initio navigatum est. De quo alia alii tradunt. Quidam primum navigasse Erythram, quidam Mysos, Dionysius Afer Aegyptios, Tibullus et Mela Phoenices, Diodorus Cretenses. Apud Romanos quis primus navigarit, docet Seneca lib. 13. de brevit. vitae: *Romanis*, ait, *primus persuasit navim conscendere Claudius, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur. Unde publicae tabulae codices dicuntur, et naves nunc quoque, quae ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subvehunt, caudicariae vocantur.*

v. 311 sq. *Pleiadas Hyadas.* Pleiades iuxta Probum, Atlantis et Pleiones filiae in coelum translatae, a veteribus etiam Pleiones, Peliae et Peliades dictae sunt ab Apollonio, Simonide, Pindaro et aliis: et quia πέλεια quoque columbam significat, factum, ut propter significationis similitudinem Homerus in descriptione scyphi Nestorei columbas pro Pleiadibus posuerit, cum cecinit columbas Iovi ambrosiam pocillari, quod de his puellis accipiendum. Sunt autem Pleiades septem stellae caudae Tauri inhaerentes, ut scribit Plinius lib. 2. nat. hist. cap. 41. Romani Virgilias nominant, autore Gellio lib. 13. Noct. Att. cap. 9. Praenunciant autem Pleiades pluviam. *Hyades* fuerunt aliae septem Atlantis filiae, quae fratrem Hyam a leaena laniatum sic defleverunt, ut et nomen ab eo sortitae, et astris illatae septem in tauri capite stellae putarentur. Latinis suculae seu hoedi nuncupantur. Se-

Non Oleniae sidera caprae,
Non quae sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes.
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis. Nunc lina sinu
Tendere toto; nunc prolato

---

ptem esse affirmat Aratus cum suis interpretibus, sex esse voluit Proclus, quinque tantum Musaeus et Hesiodus. De utrisque videndi Bassus Scholiastes Germanici, Apollonii Scholiast. in lib. 3. Apollodorus lib. 3. Biblioth. Hyginus lib. 2. Astron. Eustathius in Iliad. ζ, Probus 1. Georg. et D. Isidorus lib. 3. orig. cap. de stellis.

v. 313. *Oleniae sidera caprae.* Amaltheae, quae Olenia dicta est ab Oleno Achaiae oppido. — Eam quidam Iovis nutricem fuisse volunt, quod et Aratus in Phaenomenis statuit illo versu:

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ᾽ ὑποφῆται.

Capram Oleniam fama est Iovi mammam praebuisse. Sed de ea videndus Hyginus lib. 2. Astron. cap. de Heniocho.

v. 315. *Tardus.* Sic Bootem vocat Ovid. 2. Metamorph. At Iuvenalis et Claudianus pigrum, Propertius segnem. Dicitur autem Bootes, quia more bubulci plaustrum subsequitur; Arctophylax, quod custos videatur. Fusissime, quae huc pertinent, praeter Aratum, persecutus est Hyginus lib. 2. Astron.

v. 321. 22. *Prolato pede.* Proferre pedem est longius producere et laxare imam veli partem, non aequaliter, sed ita, ut veli pars obliquetur. Solent enim nautae imam veli partem, quae ad navis latus religatur, prout tempe-

Pede transversos captare Notos;
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo; nunc in summo

---

stas poscit, aut contrahere aut laxare. Proferre pedem etiam Caecilius dixit illo versu: *Venerio cursu veni prolato pede usque ad Sapphonem.* Imam autem veli partem etiam Catullus pedem vocat, cum ait: *sive utrumque Iuppiter simul secundus incidisset in pedem.* Virgil. 5. Aen.: *Una omnes fecere pedem*, ubi *facere pedem* est, quod nautae nostri dicunt, dimidio vento navigare, ut explicat Scaliger Animadvers. in Catull. p. 10. Servius in illum Virgilii locum pedem interpretatur funem, quo tenditur velum, quod Graeci πόδα vocant, ut est apud Pindarum et Aristophanem. Apud Homerum quoque Odyss. ε et Euripidem in Taurica Iphigenia eadem vox reperitur. Est et alicubi apud Plinium, qui locus memoriae nunc non est: *Iisdem ventis in contrarium navigatur, simul prolatis pedibus.* Porro de varia significatione vocis *pes* notandus est locus Senecae lib. 2. de beneficiis, qui ita habet: *Ingens copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed aliunde commodatis, quia pedem et nostrum dicimus, et veli et lecti et carminis.* De veli pede Lucianus: ἐνδοῦναι ὀλίγον τοῦ ποδός: *Pedem paulisper accommodare.* Notandum et hoc est, quod funis, quo pes ligatur, *propes* dicitur, teste Isidoro lib. 19. orig. c. 4. ubi adducit ista Turpilii: *Quasi cum ventus fert navim in mare secundus, si quis propedem misit, si veli sinistrum.*

v. 322. *Transversos.* Non secundos plane nec a puppi, sed quasi ad latus flantes, ne flabri vehementia navem subvertat.

v. 323 sq. *Medio tutas ponere malo.* Hoc faciunt nautae, quando vel non satis vehemens ventus, vel totum exci-

Religare loco, cum iam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, et alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida nostri secula patres
Videre, procul fraude remota.
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioque senex factus in arvo,

---

pere nolunt: attollunt autem antennas, cum plenis velis auram volunt infundi.

v. 326. *Avidus nimium navita.* H. e. cupidus nimis corradendae pecuniae. Nam haec fere omnibus per maria navigandi causa, quod docet etiam Furius in poëmatis suis, e quibus hi versus citantur a Gellio lib. 18. c. 11.

Sicut fulica levis volitat super aequora classis,
Spiritus Eurorum virides dum purpurat undas,
Quo magis in patriis possint opulescere campis.

v. 328. *Suppara.* D. Isidorus lib. 19. orig. cap. 3. Supparum, ait, genus veli unum pedem habens, quo iuvari solent navigia in navigatione, quoties vis venti languescit, de quo Lucanus [V, 428.]:

— — — *summaque tendens*
Suppara velorum perituras colligit auras.

Quod ex separatione existimant nominatum. Est ergo supparum linteum, quod malo annexum super vela antennamque expanditur. Unde est illud Statii lib. 3. [Silv. 2, 27.]: *Summis annectite suppara velis.* De supparis et eorum descriptione videndus est Adr. Turneb. lib. 21. Adv. c. 4.

v. 332. *Patrioque senex factus in arvo est.* Alludit his verbis poëta noster ad felicitatem illorum, quibus citra turbarum et peregrinationis periculum et molestiam in patrio

Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti foedera mundi
Traxit in unum Thessala pinus,
Iussitque pati verbera pontum;

---

sive agro sive domo tranquillam vitam agere et consenescere contigit: cuiusmodi vitam extollit Horatius ita canens Ode 1. lib. Epod.: *Beatus ille, qui procul negotiis* etc. Quo pertinet et illud Claudiani epigrammate de sene Veronensi:

Felix qui patriis aevum transegit in arvis,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem.

Memorabile est, quod de felicitate istiusmodi hominis, qui in patrio agro consenuerat, tradit Scholiast. antiq. in Iuvenalem Sat. 14. *Apollinis*, inquit, *oraculo declaratus est felicissimus Aglas Arcas, qui nunquam patrium agellum excesserat, cum a Deo quaereretur, quis finem verae felicitatis implesset.*

v. 333. *Parvo dives.* Notat αὐτάρκειαν sive eam virtutem, qua quis modico et tenui apparatu contentus, de ampliore non laborat: de qua cum alias satis prolixe egerimus, hac vice pluribus non agemus, satis habentes adiecisse versus Turpilii in Lindia:

Profecto ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maxime,
Ut philosophi aiunt isti, quidvis sat est.

v. 336. *Traxit in unum.* Confudit, mare terrae commiscuit, et quasi copulavit matrimonio, instituta navigatione. Hinc Manilius lib. 5. de natis sub sidere Argus:

His ducibus caeco ducentur in aequore classes,
Et coit ipsa sibi tellus.

Thessala pinus dixit, ut Horatius: *Pontica pinus.*

v. 337. *Pati verbera.* sc. remorum. Vel forte ad amen-

Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum. dedit illa graves
Improba poenas, per tam longos
Ducta timores, cum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc

---

tiam Xerxis respicit, qui Hellesponto trecenta verbera infligi et colaphos incuti iussit. De quo videndus est Herodotus in Polymnia.

v. 338. *Partemque metus.* Partem metus vocat naufragia et submersiones, quas reliquis sui timoris causis addidit genus humanum. Unde illud Propertii satis tritum:

Ite rates curvae, et lethi texite causam;
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat etc.

v. 341. *Cum duo montes.* Montes illi sunt scopuli Cyaneae insulae etiam dicti, quos infra vocat vagantes, et Claudianus eosdem vocat coëuntes. Crediti enim sunt invicem collidi, unde dicti Syndromades et Symplegades. Eos transmisere Argonautae non sine periculo, columbae ductu. De iis ita Arrianus: *Αὗται δὲ αἱ κυάνεαι εἰσὶν, ἃς λέγουσιν οἱ ποιηταὶ πλανῆτας πάλαι εἶναι, καὶ διὰ τούτων πρώτην ναῦν περᾶσαι τὴν Ἀργώ, ἥτις εἰς Κόλχους Ἰάσονα ἤγαγεν.* Pomponius Mela lib. 2. c. 7. ita de iis scribit: *Contra Thracium Bosporum duae parvae sunt parvoque distantes spatio insulae, et aliquando creditae dictaeque concurrere, quae et Cyaneae vocantur et Symplegades.* Recte ait Mela, quod creditae sint concurrere. Non enim ita se res habuit, sed quia ex adverso spectantibus geminae apparebant, si quis prope aderat, longius vero recedenti et ad latus alterum deflectenti una videbatur, poëtae ista confinxere. Cyaneae porro vocantur a colore fusco. Symplegades ἀπὸ τοῦ συμπλήττεσθαι, a

Subito impulsu, velut aetherio
Gemerent sonitu; spargeret astra,
Nubesque ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, et omnes
Labente manu misit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyra;
Ipsaque vocem perdidit Argo.

---

collisione. Ab errore vero etiam planetae dictae Timaeo et Pisistrato Liparensi, et Apollonio lib. 4.

v. 344. *Spargeret astra.* Hoc vult dicere, quando hi scopuli collidebantur, in medio deprehensum et compressum mare sic exprimebant, ut eius guttae in coelum ipsum exsilirent: unde de iis ipsis scopulis idem hic noster in Herc. Fur. Act. 5. [v. 1212.]:

Cumque revocata vice
In se coibunt, saxaque in coelum exprimen̄t,
Actis utrinque rupibus, medium mare.

v. 346. *Palluit audax Tiphys.* Exprimit illa Horatii: *et scatentem Belluis pontum, mediasque fraudse Palluit audax.*

v. 347. *Habenas.* Metaphorice pro clavo. Virgil.: *classique immisit habenas.* Sic Varro *habenas animae*, apud Nonium: *Detis*, inquit, *habenas animae leni, dum ventus vos flamine sudo suavem in patriam perducat.*

v. 349. *Vocem perdidit Argo.* Vocem tribuit Argo poëta, quia carina eius fuit vocalis, si credimus Sophocli in Trachin., Apollonio lib. 1. 2. 4., Philostrato in imagin., Lycophroni in Cassandra, Aeschylo et Luciano, Valerio et Claudiano. Cum autem simul ex quercu Dodonaea constructa putetur, hinc est illud Ovidii lib. 13. Metamorph.:

Vocalemque sua terram Dodonida quercu.

Nam in ea quercu duae columbae aureae sive atrae, seu, quod verius, duae mulieres, columbae vocatae, quia pere-

Quid? cum Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero succincta canes,

---

gre advenerant, responsa reddebant, quemadmodum tradiderunt Homerus Odyss. 14. et 19., Aeschylus in Prometheo vincto, Pausan. in Achaic., Herodot. in Euterpe.

v. 350. *Siculi virgo Pelori.* Scylla Phorci filia, quae degebat iuxta Siciliae promontorium Pelorum. Quanquam autem varia passim de Scylla tam a poëtis, quam historicis traduntur, veriora tamen caeteris existimantur, quae de ea memoriae prodidit Apollonii Scholiastes in lib. 1. Ea in hunc modum exponit: In mari eminens esse promontorium muliebrem formam utcunque praeferens: infra promontorium plurima saxa maxima concavitatibus et speluncis plena, quas marinae incolunt belluae. Et naves quidem, quae conantur has petras effugere, a fluctibus in Charybdim impulsas actutum cum mari ab ea absorberi, quae vero vitata Charybdi impetu fluctuum in Scyllam compelluntur, illico a saxis confringi et comminui; mox canes et alias feras speluncis egredi ac miseros nautas devorare; quia vero hae belluae ex imis cavitatibus saxorum emergentes sursum nituntur, quia commissae lateribus Scyllae videntur, hinc natam et fabulam et fabulosam Scyllae formam.

v. 351. *Succincta canes.* De hoc veluti canum latratu Iustinus initio lib. 3., ubi agit de Scylla et Charybdi ita scribit: *Undarum in se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes vorticibus in imum desidere, alias quoque victrices in sublime ferri videas; nunc hic fremitum ferventis aestus, nunc illic gemitum in voragine desidentis exaudias. Hinc fabulae Scyllam et Charybdin peperere: hinc latratus auditos, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas sorbentis aestus vorago collidit.*

Omnes pariter solvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid? cum Ausonium dirae pestes

Hinc et Lucretius [V, 890.]: *Aut rapidis canibus succinctas semimarinis corporibus Scyllas.* Et Virgil. in Ciri:

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates.

Quibus versibus Virgil. poëtico more duarum Scyllarum fabulam confudit.

v. 354. *Toties uno latrante malo.* Uno monstro tot simul latratus edente, quot canibus Scylla succingebatur.

v. 355. *Dirae pestes.* Sirenes, quas Nonnus facit filias Acheloi et Terpsichores, Homeri Scholiastes Acheloi et Steropes, Nicander Acheloi et Melpomenes, Servius in 5. Aen. Acheloi et Calliopes. Quae nomina habuerint, non satis constat. Sunt qui vocitent Aglaopen, Thelxiopeian, Pisinoen. Apollonii vero Scholiastes Thelxinoen, Molpen, Aglaophonen; Choerilus Thelxiopen, Molpen, Aglaophonen; Dionysius Halicar. Solinus et alii plerique Parthenopen, Ligiam, Leucasiam. Hae Iunonis instinctu Musas cantu provocarunt, a quibus victae implumes abierunt: earumque plumas Musae capitibus suis imposuerunt: ideo indignatae Sirenes cantus suos in perniciem hominum converterunt. Aliam tamen causam reddit Claudianus lib. 3. de raptu Proserpinae:

Discedunt aliae rapidis Acheloides illis,
Sublatae Siculi latus obsedere Pelori
Accensaeque malo; iam nox impune canoras
In pestem vertere lyras, vox blanda carinas
Alligat, audito frenantur carmine remi.

Eiusdem extat hoc de Sirenibus epigramma:

Dulce malum pelago Siren, volucresque puellae
Scyllaeos inter fremitus avidamque Charybdin
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris, terror quoque grdtus in undis,
Delatis licet huc incumberet aura carinis
Implessentque sinus venti de puppe ferentis:
Figebat vox una ratem, nec tradere certum
Delectabat iter, reditus odiumque iuvabat.
Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

Cur *dulce malum* vocet Sirenas Claudianus, patet ex postremo versu: *Nec dolor* etc. *Volucres* autem dicit, quia Theopompo et Izacio autoribus inferiora corporis avium habebant, quod notat etiam Ovidius lib. 5. Metamorph. his versibus [552.]:

— — — — *Vobis, Acheloides, unde*
Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret flores Proserpina vernos,
In comitum numero mistae Sirenes eratis?
Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe,
Protinus, ut vestram sentirent aequora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesque deos habuistis, et artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis.

Musica saxa cum vocat, ad earum metamorphosin respicit, quam Orpheus, si modo est ipse Argonauticorum autor, describit lib. 4. Argon.~ De scopulis istis Virg. lib. 5. Aen. ait [864.]: *Scopulos Sirenum advecta subibant.* Notatu dignum simul et mirum est, quod ex Archippo lib. 5. de piscibus Natalis lib. 7. Mythol. cap. 13. refert: Sirenes has non virgines, sed loca marina in angustias quasdam praeruptis montibus contracta fuisse, in quas illisi fluctus sonum cum suavitate et harmonia emittentes navigantes illicerent ad videndum: quo cum appulissent, undarum impetu delati caecis vorticibus hau-

Voce canora mare mulcerent;
Cum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus solitam cantu
Retinere rates paene coëgit
Sirena sequi? quod fuit huius
Pretium cursus? aurea pellis,
Maiusque mari Medea malum,

---

riebantur. Inde natam fabulam. Sed Plutarchus iunior, Dorion et Servius meretrices fuisse scribunt, quae navigantes tam diu retinebant blanditiis suis, donec ad summam egestatem reducerentur, ideoque dictae sunt illis naufragium inferre. Horatius lib. 2. Sermonum [3, 14.] Sirenes *desidiam* interpretatur. Nam haec quia neglectum rei familiaris gignit, inopiam parit.

v. 361. *Aurea pellis.* Phryxi arietem aureo insignem vellere ex Mercurii contactu, Apollonius, Orpheus, Catullus et plerique scribunt. Simonides aliquando candidum, aliquando purpureum vocat, sed fortasse more graeco, quibus albus color quandoque dicitur purpureus. Acusilaus maris contactu hunc purpureum colorem credit accepisse. Mythologiam tradit Dionysius Mytilenaeus, Crion (sic vocant illi arietem) Phryxi paedagogum fuisse, et cum eo in Colchos navigasse. Addunt alii, in prora navigii pictam fuisse arietis effigiem forte auratam. Plura huc pertinentia habet Hyginus in Fabulis pag. 188. Q. Lucilius Tharraeus in Apollon. lib. 1. v. 256.

v. 362. *Maiusque mari malum.* Periculi et pernicici plenius, quam mare. Nam Graecorum adagio trimetro *πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία.* Cum autem peior mari dicatur Medea, malum certe est. Ideo cum maxime crudelem, immanem, impiam faeminam innuere quis

Merces prima digna carina.
Nunc jam cessit pontus, et omnes
Patitur leges; non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclita remos quaeritur Argo.
Quaelibet altum cymba pererrat,
Terminus omnis motus, et urbes
Muros terra posuere novos.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxem:

---

volet, Medeam vocet licebit. Quo pertinet illud Ovid. in epist. Hypsip. [Heroid. 6, 149.]:

Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus,
Quosque veneficiis abstulit illa mihi.
Medeae Medea forem etc.

v. 365. *Palladia compacta manu.* Argo navim Minervae opera confectam fuisse, primus Simonides scripsit: idem postea Seneca, Claudianus, aliique permulti tradiderunt.

v. 369. *Terminus omnis motus.* Quidam codices pro *motus* habent *notus*, quod perperam legi interpretes docent: cum autem dicit *Terminum omnem motum*, hoc vult dicere, omnes terminos maris ac terrae primam navem transtulisse.

v. 370. *Muros terra posuere novos.* Vel per hypallagen intelligendum est, ut haec sit sententia: incognitis in terris novas urbes aedificari coeptas, vel rescribendum: *Muros terra posuere nova.*

v. 373. *Indus gelidum.* Simili argumento Virgil. utitur [Ecl. 1, 63.]: *Aut Ararim Parthus* etc. Araxes porro Armeniae fluvius est, de quo Mela lib. 3. cap. 5.

Albim Persae, Rhenumque bibunt.
Venient annis secula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes,

---

v. 375. *Venient annis secula seris.* Post multa secula. Loqui autem videtur non de annis vertentibus, quales nostri, sed de magnis, quos alii vertentibus duobus autumant constare, alii quatuor, Chaldaei duodecim, Meton 19, Philolaus 59, Callippus 76, Democritus 82, Hipparchus 34. Non tamen loquitur de anno maximo Platonis et Aristotelis, quem faciunt ex Hipparchi sententia 2484, ex Arethae 5552, ex Lini 10800, iuxta Dionem tredecim millium nongentorum octoginta quatuor, iuxta Orpheum centum millium et viginti: ex Cassandri supputatione tricies sexies centum millium, ex aliorum denique infinitum, ut autor est Censorinus. Annus dictus D. Isidoro lib. 5. orig. quia mensibus in se recurrentibus volvitur, vel ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι ab innovatione. Continuo quippe renovatur. Paulo post Isidorus annum dividit in lunarem, qui 30 diebus constat, et solstitialem, qui continet 12 menses, et magnum, qui omnibus planetis in eundem locum recurrentibus perficitur, sed aperte magnum vocat, quem Censorinus maximum, solstitialem, quem alii vertentem, de quibus consulendus Lalamantius in libello de tempore et eius partibus.

v. 376. *Vincula rerum.* Similiter loquitur in consolat. ad Marciam cap. 18. *vinculum terrarum Oceanus continuationem gentium triplici sinu scindens.* Vinculum vocat, quia terras ut fascia videtur cingere.

v. 377. *Pateat.* Nunc incognita, et quasi latens.

ec sit terris ultima Thule.

---

v. 379. *Ultima Thule.* Insula in septentrionem vergens ultra Orcadas latitudinem habens graduum 64, quo fit, ut circa solstitium aestivum quam brevissimae ibi sint tenebrae, sole ab illorum horizonte quam minimum recedente, quemadmodum contra circa solstitium hybernum nihil fere aut quam minimum habens diei, sole tropicum capricorni ab illis disiunctissimum perambulante. Haec extrema fuit earum, quae in septentrionali Oceano Romanis fuerunt cognitae, unde non tantum a Seneca h. l, sed etiam a Virgilio *ultima* appellatur. Putatur esse eadem cum Islandia.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Retinet iram Medea semel animo conceptam, negatque illam se ullo modo sedare, reprimere aut deponere posse, nisi contumeliam illatam ulciscatur, et omnia ruina obruat.

NUTRIX. MEDEA.

NUTR. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
Resiste, et iras comprime ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,

---

v. 382. *Qualis entheos cursus.* Entheos i. e. furiosos, fanaticos. Dicitur enim ἔνθεος quasi ἐντὸς θεὸν ἔχων, deo afflatus et agitatus. Utitur eadem voce Statius poëta Neapolitanus lib. 1. Sylvarum [2, 227.]:

Hic thyrsos, hic plectra ferit, hic enthea lauro
Limina. —

Martialis [12, 57, 11.] *vatum plectra* vocat *entheata*. — Comparatio porro haec usitatissima est poëtis, potestque nullo negotio ostendi, ea usos non Aeschylum modo, Pacuvium, Virgilium ac Propertium, sed et Ovid. 9. Metamorph. in epist. Laodamiae, Silium lib. 4. ac nostrum actu 2. Herc. Oetaei. Audacior Val. Flaccus Medeam ipsi Baccho comparare non dubitat.

Cum iam recepto Maenas insanit Deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysae iugis;
Talis recursat huc et huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.

---

v. 383. *Maenas.* Maenades eaedem quae Bacchae, h. e. mulieres insanientium ritu Bacchi orgia celebrantes, dictae a verbo graeco μαίνεσθαι, quod significat insanire. Orgia peculiariter Liberi patris sacra nominata sunt ἀπὸ τῆς ὀργῆς h. e. a *furore*, ut quidam putant, quod haec praecipue sacra a mulieribus furore correptis celebrarentur, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν h. e. a montibus, in quibus potissimum fiebant, idque tertio quoque anno, unde *trieterica* dicta i. e. triennalia.

v. 384. *Pindi.* Pindus Thessaliae mons est, Apollini Musisque sacer, Acarnaniam ab Aetolia dividens, in quo solitae bacchari Maenades, quondam sedes Lapitharum. De eo sic Lucan. lib. 1. [675.]:

— — — *nam qualis vertice Pindi*
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo.

Ib. *Nysae iugis.* Graeci quidam *Νῦσαν*, alii *Νύσσαν*, alii *Νίσσαν* scribunt. Nyssae porro tam urbes quam montes nominantur a Stephano et reliquis geographis decem. Hic agitur vel de altero Parnassi vertice, vel de urbe Indica ad radices montis Meri, in cuius antro Dithyro Bacchus fuit educatus. Q. Curtius Rufus lib. 8. de reb. gestis Alex.: *Sita est* (Indiae urbs Nissa) *sub radicibus montis, quem Meron incolae appellant. Inde Graeci mentiendi traxere licentiam, Iovis femine Liberum patrem esse celatum*, quod ab Arriano [Indic. c. 1.]

v. 386. *Furoris ore signa.* Iram vocat furorem. Nam *ira furor brevis est* teste Horatio. Signa autem irae luculentis verbis describit Seneca lib. 1. de ira cap. 1: ,,*Quidam e sapientibus viris iram dixere brevem insaniam. Aeque enim*

Flammata facies spiritum ex alto citat.
Proclamat; oculos uberi fletu rigat;
Renidet; omnis specimen affectus capit;

---

impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod coepit, pertinax et intenta, rationi consiliisque praeclusa, vanis agitata causis, ad conspectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur. Ut autem scias insanos esse, quos ira possedit, ipsum eorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus toto ore rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus, et complosae saepius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque irae minas agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium. Similia habet lib. 2. de ira cap. 35. et lib. 3. cap. 3. et 4. Haec ergo furoris signa hoc loco inferius veteris irae notae dicuntur. Sequentibus autem versibus irati habitus non ineleganter exprimitur.

v. 387. *Spiritum ex alto citat.* Pro citat legi malunt interpretes *ciet.*

v. 388. *Proclamat, o superi.* Interrumpere fletu sermonem vix inchoatum ostendit, quae nota est vehemens. Alia est quorundam manuscr. lectio: *Proclamat, oculos uberi fletu rigat:* nec ipsa improbanda, sed prior vehementior.

v. 389. *Renidet.* Ridet, gaudet, laetatur. Horat. lib. 3. Od. 6. „*Adiecisse praedam Torquibus exiguis renidet.*

Haeret, minatur, aestuat, queritur, gemit.
Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus.
Se vincet: irae novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Dii fallant metum!
MED. Si quaeris odio, misera, quem statuas modum,
Imitare amorem. Regias egon' ut faces

---

v. 393. *Non facile.* Scelus meditatur gravissimum, et quod difficile cogitatu etiam atque assensu sit.

v. 398. *Imitare amorem* h. e. odio modum nullum statue, quia amor modum nullum habet. Quod satis etiam luculenter docet Terentius Eunuch. 1, 1. de amore ita scribens:

Quae res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore haec omnia insunt vitia: iniuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum; incerta haec si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Hos versus Terentianos eleganter expressit Horatius [Serm. 2, 3, 265 sqq.]:

— — — — *quae res*
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala: bellum,
Pax rursum: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.

Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra coelum media libratum feret,

Propertius quoque:

Errat vesani finem qui quaerit amoris;
Verus amor nullum novit habere modum.

Cur autem amor modum non admittat, eius rei ratio petenda ab Aristotele lib. 2. Eth. Nicom. c. 6. ubi ostendit, id inde provenire, quia carnalis amor ex iis affectionibus est, quarum virtus regula esse non potest; mediocritas autem et modus affectionum a virtute dependet. Sunt enim affectiones et actiones multae adeo flagitiosae, ut nullo velo cohonestari queant. Sunt aliae sic re ipsa detestabiles, ut medium nullum admittant, quia in extremo positae. Vitiis enim extremis adhiberi mediocritas non potest: nec magis in extremitatibus medium, quam in mediocritate excessum vel defectum invenias; alias ei, quod caret modo, modus inesset, et exsuperationis foret exsuperatio.

v. 401. *Dum terra* etc. i. e. in perpetuum. Irae namque suae perpetuitatem necessariorum multorum accumulatione significat. Ita in Oedipo actu 2. [v. 504.]:

Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos praedicet Lucifer ortus
Albaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos.

Virgil. Aen. 1. v. 611.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet etc.

Sic Lucan. lib. 1. [v. 89.]:

— — *dum terra fretum terramque levabit*

Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, et solem dies,
Noctem sequentur astra, dum siccas polus
Versabit Arctos, flumina in pontum cadent,
Nunquam meus cessabit in poenas furor,
Crescetque semper. quae ferarum immanitas,
Quae Scylla, quae Charybdis, Ionium mare

Aër, et longi volvent Titana labores
Noxque diem coelo totidem per signa sequetur.

v. 403. *Numerusque arenae deerit.* Quoad arenae multitudo erit infinita non re ipsa, sed nostra ignoratione, qui numerare nescimus in se finitam et numero circumscriptam. Quamvis enim Seleucus Erythraeus et Heraclides Ponticus mundum, Diogenes et Melissus universum infinitum actu esse dixerint, teste Stobaeo Eclog. Phys. lib. 1. cap. 25. alii etiam arenae maris numerum, quos refellit Archimedes, reliqui tamen philosophi, ut Ocellus Lucanus, Timaeus, Plato et Aristoteles, id merito improbarunt.

v. 404. *Siccas.* Inocciduae enim nobis ursae.

v. 405. *Flumina in pontum cadent.* Sic Virg. Aen. 1. *In freta etc.*

v. 408. *Quae Scylla, quae Charybdis.* Sic Catullus:

Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis etc.

Uterque loquitur de Sicula Charybdi. Est autem et alia Charybdis veteribus incognita in Serichfinnia inter Swentinos promontorium et Caienska Semla. De qua videndus Abrahamus Ortelius in descriptione gentium septentrionalium.

Ib. *Ionium mare.* Dicitur ea pars maris mediterranei, quae supra fauces Adriatici inter Siciliam et Cretam ex-

Siculumque sorbens, quaeque anhelantem premens
Titana, tantis Aetna fervescit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro saevus, aut vis ignium
Adiuta flatu, possit inhibere impetum
Irasque nostras; sternam et evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest.

---

panditur, quod Plinius Acroceraunio promontorio ab Adriatico dirimit. Ad nominis rationem quod attinet, non satis convenit inter scriptores: Didymus enim dictum existimat ab Ionio quodam Dyrrhachii filio, quem Hercules, quum imprudenter occidisset, in mare proiecit, ut memoriam eius propagaret. Solinus ab Iona extrema Italiae regiuncula dictum mavult: Lycophron ab errore Iûs Inachi filiae: alii ab Ionum naufragio: nonnulli ab Ione quodam Adriae patre, qui deinde mari Adriatico nomen fecit.

v. 412. *Pontusque* sc. Euxinus: in quo Corus seu Argestes flans ab occasu solstitii aestivi procellas et tempestates excitare solitus.

v. 415. *Thessalici ducis* sc. Acasti. Nam et supra [v. 256] habuimus, *quippe te poenae expetit Lethoque Acastus.*

v. 416. *Amor timere.* Quod audaciae pleni sint amantes, multis poëtarum praesertim testimoniis confirmari potest. Inde enim Tibullus [1, 2, 23.]:

Non docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec timor obscura surgere nocte vetat.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus,
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veste petat.

Sed cesserit coactus, et dederit manus;
Adire certe, et coniugem extremo alloqui
Sermone potuit: hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugae
Genero licebat: liberis unus dies
Datus duobus. Non queror tempus breve:
Multum patebit. Faciet, hic faciet dies,
Quod nullus unquam taceat; invadam Deos,
Et cuncta quatiam. NUTR. Recipe turbatum malis,

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qua libet; insidias non timuisse decet.

Propert. [2, 20, 70.]:

Solus amans novit, quando periturus, et a qua
Morte, neque hic Boreae flabra, nec arma timet.

Et lib. 3. el. 14. [11.]:

Nec tamen est quisquam sacros qui laedat amantes,
Scironis media sic licet ire via.

De audacia amantium insigne est dictum Aristaeneti lib. 2. ep. 57. *Οὐκ ἔστιν αἰδήμων ἐραστής, κἂν προπηλακιζόμενος τύχῃ, οὐδὲ δειλός, κἂν δέοι τεθνάναι· πρὸς κῦμα, πρὸς πνεῦμα πλεῖν οὐδὲν αὐτῷ διαφέρει. Non est amator verecundus, ne si contumeliis expellatur quidem, non est pavidus, ne si moriendum sit; adversis ventis, adverso aestu navigare susque deque habet.* Exemplum illustre audaciae singularis in amante suppeditat Virg. Aen. 2, 403—408. *Ecce trahebatur* etc. Erat autem Coroebus, quod idem poëta innuit eod. lib. v. 341. Mygdonides etc. In Cantico Canticor. cap. ult. Salomon inquit: *Amor aeque ac mors robustus*, quod dictum P. M. ita explicat: Amantes ne quidem, si mors oppetenda sit, depelli a rei amatae cura et defensione.

Hera, pectus; animum mitiga. MED. Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant; trahere, cum pereas, libet.
NUTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

IASON. MEDEA.

Iasonem, gravatim Medeam deserentem, seque excusantem, aggreditur Medea opprobriis, precibus, simulata conciliatione.

IAS. O dura fata semper et sortem asperam,
Cum saevit, et cum parcit, ex aequo malam!
Remedia toties invenit nobis Deus
Periculis peiora? si vellem fidem
Praestare meritis coniugis, leto fuit
Caput offerendum: si mori nolim, fide
Misero carendum est. Non timor vincit virum,
Sed trepida pietas. Quippe sequeretur necem

---

v. 427. *Mecum ruina.* Quod h. l. de sua ira profitetur Medea, idem recte alibi noster: Iratos ruinis simillimos, quae super id, quod oppressere, franguntur. Ita Aiacem ira ad furorem mortemque perduxit, teste Cic. Tusc. 4.

v. 430. *Nemo potentes.* Nam potentium ira gravis est semper, regum praecipue, quod Hom. docet Il. ά.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον.

Proles parentum. O sancta, si coelum incolis,
Iustitia, numen invoco ac testor tuum.
Nati patrem vicere. Quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde, nec patiens iugi,
Consulere natis malle, quam thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viso memet, exsiluit, furit.
Fert odia prae se, totus in vultu est dolor.

---

v. 439. *O sancta.* Astraea in coelum recepta pro dea colebatur, ideo sanctam vocat. Proprium est hoc deorum epitheton, de quo vid. Brisson. lib. I. de formulis p. 49. Consistit autem in duobus potissimum sanctitas, in munditia et firmitate. Quae duo rectissime Deo tribuuntur, quippe quo nihil purius, nihil firmius: imo ipsa ille munditia, ipsa firmitas, ipsum robur.

v. 442. *Ferox.* Ita Horat. in epist. ad Pisones de arte: *Sit Medea ferox.*

v. 446. *Totus in vultu est dolor.* Vultus dolorem integrum, quantus est, exprimit; nihil illa necesse est eam profiteatur; ex vultu manifeste deprehendas. Dolorem pro ira et Herc. Oet. Actu 2. et Agamemn. actu 2. posuit. Quam vero certa, ex vultu maxime, animi affectionum indicia colligantur, satis ostendunt haec Ciceronis et aliorum testimonia. Ita in Cic. I. de leg.: *Is qui appellatur vultus, qui nullo esse in animante praeter hominem potest, indicat mores.* Idem 3. de orat.: *Imago animi vultus est, indices oculi.* Id. de petit. Consul.: *Frons est animi ianua.* Gell. lib. 13. c. 23. citat ex orat. Cic. in Pisonem: *Vultus totus sermo quidam tacitus mentis est.* Id. Cic. I. de leg.: *Natura speciem oris ita formavit, ut in ea penitus reconditos mores effingeret.* Inde illud Terentian. Heaut. 5, 1. *Vultus quoque hominum fingit scelus.* Exempla eorum,

MED. Fugimus, Iason, fugimus. Hoc non est novum,
Mutare sedes; causa fugiendi nova est.
Pro te solebam fugere; discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam,
Patriumque regnum, quaeque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras iubes?

---

quorum ex vultu indicia rerum futurarum collecta sunt, passim observanda sunt. Nobis ex histor. Alex. unum hoc tempore attulisse sufficiat. Ita igitur de illius vultu Curt. lib. 4. cap. 13. instante secundo adversus Darium proelio: *Macedones vultu regis interrito certam spem victoriae augurabantur.*

v. 452. *Patriumque regnum.* Ita eadem Medea apud Euripidem [v. 501. Barn.]:

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους;
Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ᾽ ἂν οὖν
Δέξαιντό μ᾽ οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Convenit illud Ennii in Medea: *quo nunc me vertam, quod iter incipiam ingredi? Domum paternamne, an ad Peliae filias?* Solent autem Poëtae miseros sic facere ratiocinantes, ut ostendant nullo loco se posse tuto consistere. Exempla sunt illustria in Herc. fur. Euripidis, Aiace *Μαστιγοφόρῳ* Sophoclis, Ariadna Catulli, Didone Virgilii, Alcmena Senecae, in Hercule Oetaeo, aliisque multis.

v. 453. *Quas peti terras iubes?* Citantur haec verba a Quinctiliano lib. 9. instit. orat. c. 2. Senecae nomine *ἁπλῶς*, quod de alio quam philosopho minime accipiendum. Est autem haec interrogatio apta concitandae invidiae, ex iis, quae responsione carent. Multiplex autem

Quae maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
Quascunque aperui tibi vias, clusi mihi.
Quo me remittis? exsuli exsilium imperas,
Nec das. Eatur; regius iussit gener.
Nihil recuso. Dira supplicia ingere;
Merui. Cruentis pellicem poenis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Clusamque saxo noctis aeternae obruat;
Minora meritis patiar. Ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,

---

interrogationis usus. Nam vel instamus ea, vel commiserationem aut invidiam movemus, vel ridemus, vel scire aliquid cupimus, quod nescimus.

v. 457. *Thessala an Tempe petam.* Tempe dicta quaevis situ amoena loca, quaedam Boeotiae, quae Teumessia; quaedam Siciliae, quae Eloria; quaedam Thessaliae, quae simpliciter Tempe vocari consuevere a scriptoribus. Describuntur ab Aeliano lib. 3. var. histor. et Ovid. 1. Metam.

v. 464. *Saxo noctis aeternae* h. e. specu tenebroso.

v. 465. *Ingratum caput.* Usitatum est poëtis voce capitis ipsum hominem denotare. Ita Virg. Aen. 4. v. 613.

— — — si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est.

Ita id. 4. v. 354. *Me puer Ascanius, capitisque iniuria cari.* Horat. lib. 1. oda 24. *Tam cari capitis.* Terent. Andr. 2, 2. *Ridiculum caput.*

v. 466. *Revolvat animus.* Petit ab Iasone, ut accepta be-

Interque saevos gentis indomitae metus,
Armifero in arvo flammeum Aeetae pecus,
Hostisque subiti tela, cum iussu meo
Terrigena miles mutua caede occidit.

---

neficia in memoriam revocet, quasi ab oblito; quae summa ingratitudo. Hinc Seneca lib. 3. de benefic.: *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat; ingratus qui non reddit; ingratissimus omnium, qui oblitus est.*

Ib. *Igneos tauri halitus.* Desumptum hoc est ex Euripide, apud quem Medea [v. 476. B.]: *Ἔσωσά σ᾽, ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι Ταυτὸν ξυνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος, Πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην Ζεύγλαισι, καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην· Δράκοντά θ᾽ ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας Σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄυπνος ὤν, Κτείνασ᾽ ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον.*

v. 470. *Terrigena miles.* De Terrigenis hisce ita Ovid. lib. 7. Metamorph. [v. 141.]:

Terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres.

Claudianus eodem nomine illos vocat libro de bello Getico:

An ego terrigenas potius mirabor in ipsis
Procubuisse fatis, vitae quibus attulit idem
Principium finemque dies.

Iasonem porro tradunt scriptores seminasse dentes draconis non illius Colchici, sed eius, quem Cadmus prius in Boeotia occiderat. Nam Apollonius lib. 3. et Pherecydes scribunt, Boeotii illius dentes aequis partibus a Minerva divisos Cadmo et Aeetae; hos Aeetes Iasoni seminandos dedit. Hunc draconem Pherecydes et Herodorus autumant occisum ab Iasone. Antimachus vero, Apollonius et Valerius duntaxat veneficiis Medeae consopitum memorant. Lysimachus in Thebaicis et Hellanicus lib. 1. Phoronid. scribit, Cadmum volente Marte dentes seminasse, et ena-

Adice expetita spolia Phrixei arietis,

---

tos quinque viros arma quatientes, Udaeum, Chthonium, Pelorum, Hyperionem et Echionem. Pherecydes lib 5. et Apollonius l. 2. plures censent fuisse, sed hos tantum superfuisse, cum reliqui iacto a Cadmo lapide, rati unusquisque id ab alio factum, mutuis vulneribus concidissent. Sidonius etiam in carmine ad Felicem superiora omnia Medeae in Iasonem beneficia refert; cuius hoc est:

Forma percita, cum ducis Pelasgi
Molliret rapidos virago tauros,
Nec tam territa, cum suus colonus
Post anguis domiti sator molares
Armatas tremebundus inter herbas
Florere in segetem stuperet hostem
Et pugnantibus hinc et inde aristis
Supra belliferas madere glebas
Culmosos viridi cruore fratres.

Hi fratres et Spartiatae olim vocati. Unde Lactant. lib. 3. c. 4. *Pereunt igitur universi hoc modo, et tanquam Spartiatae illi poëtarum, sic invicem iugulant, ut nemo ex omnibus restet.* Iidem Graecis Σπάρτοι et Latinis Sparti dicuntur. Quod docet Ammian. lib. 19. *Quo exemplo*, inquit, *terrigenas illos, non finibus terrae emersos, sed exuberanti pernicitate credimus natos; qui quoniam inopini per varia cernebantur, Sparti vocitati. Humo exsiluisse, vetustate ut cetera fabulosius extollere, sunt aestimati.* Lactantius vocat praeseminatos lib. 6. instit. cap. 10. Ab his Spartae origo iuxta Stephanum, et ab his oriundi Spartiatae Lacones iuxta Timagoram, licet alii a Sparto Phoronei filio derivent.

v. 471. *Adiice.* Non *adiice* sed *adice* per unicum *i* legendum est, more Manilii, Martialis et aliorum, ut prima possit corripi. *Expetita* autem, id est optata, ut et Catullus utitur illo: *Speratam optantes Colchis avertere pellem.*

Somnoque iussum lumina ignoto dare
Insomne monstrum, traditum fratrem neci,
Et scelere in uno non semel factum scelus,
Iussaque natas fraude deceptas mea,

Ib. *Phryxei arietis.* Phryxus filius fuit Athamantis et Nepheles, qui una cum sorore Helle, cum defuncta matre Inus novercae insidias timerent, conscenso aurei velleris ariete, quem antea a matre, ut quidam volunt, ut alii, a patre acceperat, pontum ea parte, quae angustior est, transportare coepit. Sed Helle undarum strepitu in pontum decidit et submersa est, a qua deinde pars illa maris Hellespontus dictus est. Phryxus vero incolumis ad Aeetam regem pervenit, ubi arietem Iovi, vel, ut aliis placet, Marti immolavit, vellusque illud aureum in templo suspendit, quod postea Iason Medeae arte adiutus abstulit. Aries vero inter sidera relatus pristinam effigiem tenuit, qui a Phryxo Phryxeus est appellatus. vid. Iustinus lib. 42.

v. 472. *Somnoque iussum.* Ovid. de hac ipsa re Metam. 7. [v. 155.]:

Somnus in ignotos oculos venit.

v. 473. *Insomne monstrum.* Vocat draconem. Claud.:

— — — *Insopitisque refusum*
Tractibus aurati custodem velleris anguem.

Ovid. in epist. Medeae:

Lumina custodis succumbere nescia somno
Ultimus est aliqua decipere arte labor.

Idem tradit Apollon. lib. 2. Noster dracones insomnes, vel vigiles, vel quid tale significantibus nominibus vocat, idque recte et merito. Nam ab acutissimo visu παρὰ τὸ δέρκεσθαι Δράκων. Ideo Phidias Palladis statuae draconem apposuit, poëtae hortis Hesperidum, et aureo Aeetae pecori.

Secare membra non revicturi senis.
Aliena quaerens regna, deserui mea:
Per spes tuorum liberûm et certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque praeteritos metus,
Per coelum et undas, coniugii testes mei,
Miserere: redde supplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythae

---

v. 476. *Senis*, Peliae.

v. 477. *Aliena sequens regna.* Varie legitur hic locus. Alii enim legunt: *aliena sequens regna:* alii, *alienaque.* Critici inquiunt, fortius multo scripturos et interrogando prolaturos: *Aliena sequeris regna? deserui mea.* Idque probe probum putant, sententia fortasse non usque adeo incommoda, sed cum ἀταξίαν animadvertere illi non videantur, inventi sunt, qui fidenter affirment, haec verba non suo loco posita, aiuntque credidisse se iam pridem, hunc versum statuendum infra post v. 486. hoc modo:

Nisi fratris artus. hos quoque impendi tibi,
Aliena sequens regna, deserui mea,
Tibi patria cessit.

Sed ne sic quidem rem factam se habere arbitrantur, cum repugnet lex carminis, et secunda syllaba Pyrrhichium reiiciat, quod Senecae praesertim inconsuetum. Quo fit, ut in hanc sententiam delabantur, Senecam scripsisse: *Aliena sectans*, post ex glossemate irrepsisse *sequens.* Recentiores denique tibicinem addidisse stabiliendo carmini: *alienaque sequens.*

v. 481. *Per coelum et undas. Undas* facit testes coniugii Medeae, secutus eos, qui in mari demum celebratas nuptias Iasonis et Medeae volunt.

Usque a perustis Indiae populis petunt,
Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exsul tuli,
Nisi fratris artus. Hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupsi; redde fugienti sua.
IAS. Perimere cum te vellet infestus Creo,
Lacrimis meis evictus exsilium dedit.
MED. Poenam putabam; munus, ut video, est fuga.
IAS. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.
Gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,
Praestas Creusae; pellicem invisam amoves.
IAS. Medea amores obicit? MED. Et caedem et dolos.
IAS. Obiicere crimen quod potes tandem mihi?
MED. Quodcunque feci. IAS. Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
MED. Tua illa, tua sunt illa. Cui prodest scelus,

---

v. 484. *Indiae.* De Indoscythis agit, quos Gedrosiae et Arachosiae Ptolemaeus opponit.

v. 486. *Ornamus auro nemora.* Propter vellus aureum. Alioquin Plinius de Soanis, gente Colchica, scribit, eorum regi fuisse aureas cameras, trabes, columnas et parastatas argenteas. Ita de Turditanis Strabo scribit, eos habuisse argentea praesepia.

v. 495. *Praestas Creusae.* Bene illi consulis, pellicem me removendo, ne noceam novae nuptae. Illud notandum: novam Iasonis nuptam a Seneca, Propertio et Ovidio Creusam, ab Euripide, Apollodoro, Athenaeo, Libanio Glaucam vocari.

Is fecit. Omnes coniugem infamem arguant;
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
IAS. Ingrata vita est, cuius acceptae pudet.
MED. Retinenda non est, cuius acceptae pudet.
IAS. Quin potius ira concitum pectus doma;
Placare natis. MED. Abdico, eiuro, abnuo.
Meis Creusa liberis fratres dabit?
IAS. Regina natis exsulum, afflictis potens.
MED. Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole foeda misceat prolem inclitam,
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.

---

v. 497. *Solus tuere.* Eadem Medea apud Ovidium:
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est;
Pro quo sum toties esse coacta nocens.

v. 505. *Retinenda non est.* Seneca lib. 2. de benef.: *Quod pudet debere, ne acceperis.* Atque hoc, quod h. l. praecipit Seneca, *malo occurrere* est: hoc autem versu, postquam acceperis, quid tum faciendum, praescribit.

v. 512. *Phoebi nepotes* h. e. posteros. Nam erant Aeetae nepotes, et Creontis nepotibus miscendi. Creon autem Sisyphi, Aeetes Solis filius. Sisyphos porro duos fuisse legimus. Prior fuit Aeoli filius, conditor, ut aiunt, et rex Ephyrae, quae postea Corinthus dicta. Alter Sisyphus fuit latro, insessor viarum Corinthi, qui Anticleam, matrem Ulyssis, cum ad Laërten deduceretur, compressisse fertur, unde natus sit Ulysses, quo nomine poëtis dicitur Sisyphides. Quod notavit Ios. Scal. Animadv. in chronicon Euseb. p. 37. De hoc Sisypho Cic. Tusc. 1. *Illud quod Sisyphus versat saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.*

IAS. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quaeso. MED. Supplicem audivit Creo.
IAS. Quid facere possim, eloquere. MED. Pro me? vel scelus.
IAS. Hinc rex, et illinc. MED. Est et his maior metus,
Medea. nos confligere certemus; sine,
Sit pretium Iason. IAS. Cedo defessus malis.
Et ipsa casus saepe iam expertos time.
MED. Fortuna semper omnis intra me stetit.
IAS. Acastus instat, propior est hostis Creo.
MED. Utrumque profuge. Nolo ut in socerum manus
Armes; nec ut te caede cognata inquines,
Medea cogit. Innocens mecum fuge.
IAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant?

---

v. 516. *Est et hic maior metus, Medea.* Dixerat Iason ab una parte duos reges esse Acastum et Creontem, quorum metu Medeam non ausit retinere. Respondet illa: sint illinc Acastus et Creo: hinc ego plus sola, quam uterque, potero.

v. 517. *Nos confligere certemus, sine.* Discrepant iterum de veritate lectionis interpretes. Qui hoc modo legunt: *nos confligere, certemus, sine:* sententiam hanc esse volunt: sine nos confligere, certemus, hinc ego, inde Acastus cum Creonte: cedat Iason victori. Sed si ita legeretur, in quanta sede anapaestus contra legem metricam legeretur. Itaque extitit, qui unius literulae mutatione fulciret, ita legens: *Medea, non confligo, certemus sine.* Tu sede, spectator pugnae futurus, ego cum hostibus sola congrediar! mihi bella posco, tibi spectaculum praebebo.

Creo atque Acastus arma si iungant sua?
MED. His adice Colchos, adiice Aeeten ducem,
Scythas Pelasgis iunge. demersos dabo.
IAS. Alta extimesco sceptra. MED. Ne cupias, vide.
IAS. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
MED. Nunc summe toto Iuppiter coelo tona.
Intende dextram; vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate:
Nec diligenti tela librentur manu.
Vel me, vel istum: quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit; non potest in nos tuum
Errare fulmen. IAS. Sana meditari incipe,
Et placida fare. Si quid ex soceri domo
Potest fugam levare, solamen pete.
MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletque: liberos tantum fugae
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lacrimas profundam. Te novi nati manent.
IAS. Parere precibus cupere me, fateor, tuis;
Pietas vetat. Namque istud ut possim pati,

---

v. 527. *His adiice.* Sic apud Val. Flaccum ultimo libro inchoati operis inquit Medea:

An fratris te bella mei patriaeque triremes
Terrificant, magnoque impar urgeris ab hoste?
Finge rates alias et adhuc maiora coire Agmina.

v. 538. *Si quid ex soceri domo.* Desumptum hoc est ex Euripide, apud quem ita Iason [v. 610. Barn.]:

Ἀλλ' εἴ τι βούλει παισὶν ἢ σαύτῃ φυγῆς
Προσωφέλημα χρημάτων ἐμῶν λαβεῖν,
Λέγ', ὡς ἕτοιμος ἀφθόνῳ δοῦναι χερί.

Non ipse memet cogat et rex, et socer.
Haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
Curis levamen. Spiritu citius queam
Carere, membris, luce. Med. Sic natos amat?
Bene est; tenetur; vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata; liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est et illud. Voce iam extrema peto,
Ne si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: melioris tibi
Memoria nostri subeat; haec irae data
Obliterentur. Ias. Omnia ex animo expuli.
Precorque, et ipsa fervidam ut mentem regas,

---

v. 550. *Vulneri patuit locus.* A gladiatoribus ducta figura. Nam hi ut aliquod membrum detegunt, locum infligendo praebent, et tum vulneri locus patet.

v. 553. *Gratum est.* Si absque nota interrogationis enuncietur, frigidum est. Itaque hanc nonnulli apposuerunt; sed et sunt, qui interiectione personarum subveniant; et ita distinguunt, ut *Gratum est* tribuatur Iasoni, et sequentia Medeae.

v. 554. *Ne si qua.* Medea apud Euripidem [v. 869.]: *Αἰτοῦμαί σε τῶν εἰρημένων συγγνώμον' εἶναι.* Porro Medea, ne necandorum liberorum occasio desit, se ad meliorem mentem rediisse simulat. Sic plane Sophocleus Aiax a priore sententia recessisse se fingit, Tecmessae a se removendae causa, ne se interficere volenti impedimento foret. Atque illa Sophoclis fictio ita placuit Virgilio, ut in divinum opus lib. 4. illam transtulerit. Ibi namque Dido certa iam mori et deliberata morte ferocior
— — *consilium vultu tegit et spem fronte serenat.*

Placideque tractes. Miserias lenit quies.

---

v. 559. *Miserias lenit quies.* Hoc vult dicere: Leniores reddi miserias ei, qui leniter illas ferat nec querendo exasperet: augeri enim iracundia et impatientia. Unde illud Horatianum: *Levius fit patientia, quicquid corrigere est nefas.* Idem de senectae incommodis censuit Anaxandrides [apud Stob. Tit. 116.] his verbis:

Οὔ τοι τὸ γῆρας ἐστιν (ὡς οἴει, πάτερ)
Τῶν φορτίων μέγιστον, ἀλλ' ὃς ἂν φέρῃ
Ἀγνωμόνως αὔθ', οὗτός ἐστιν αἴτιος.
Ὁ δ' εὐκόλως ἐνίοτε κοιμίζειν ποιεῖ,
Μεταλαμβάνων ἐπιδέξι' αὐτοῦ τὸν τρόπον,
Λύπην ἀφαιρῶν ἡδονήν τε προςτιθείς.
Non est senectus, (ut tu opinaris, pater)
Onus gravissimum, sed impatientius
Qui fert, sibi ipse illius est auctor mali:
Patienter at qui, sibi quietem comparat,
Dum dextere eius moribus se accommodat:
Nec ille solum detrahit molestiam,
Arcessit aliquam sed voluptatem sibi.

Quo pertinet et illud Ovidii [Am. 1, 2, 10.]:

Leve fit, quod bene fertur onus:
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas.

et [ib. 13.]:

Verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
Detrectant pressi dum iuga prima boves.
Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.

Praeclarum est in hanc sententiam illud Senecae lib. 3. de Ira cap. 16. *Omnis indignatio in tormentum suum proficit, et imperia graviora sentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum iactat, astringit: sic aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illi-*

MED. Discessit. itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. Hoc age, omnes advoca
Vires et artes. Fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. Vix fraudi est locus.

---

nunt. Nulli tam artum est iugum, quod non minus laedat ducentem, quam repugnantem. Unum est remedium malorum ingentium, pati et necessitatibus suis obsequi. Et Hegesippi illud lib. 2. de excid. Hieros. c. 9. *Nihil tam exasperat fervorem vulneris, quam ferendi impatientia. In agrestibus feris artissima vincula, si se excitent, imprimuntur, si quiescant, relaxantur.* Reperiuntur in eandem quaedam apud hunc ipsum nostrum Senecam epist. 108. at exempla plurimorum, qui mala placide ferendo edulcarunt, refert idem lib. de consol. ad Marciam a cap. 12. usque ad cap. 17.

v. 562. *Hoc age.* Loquelare verbum est, quo sacrificantes et sacrificio adstantes monebantur, ut curis aliis exclusis huic uni rei animo attenderent. Formulae mentio fit apud Senecam lib. 1. de clem. usum et significationem Plutarchus tradidit in Numa et in Coriolano. Videndus est etiam [Erasmus ?] adagio: *Hoc age.* Et Brisson. lib. 1. de formul.

v. 564 sq. *Vix fraudi est locus, Timemur.* Difficile est enim eum fallere, qui falli timet. E contrario facile est illum circumvenire, qui se decipi non posse confidit. Nam confidentia insidiis exposita est; metuentem non nisi aperto Marte opprimere queas. Ideo apud hunc ipsum Senecam in Thyeste [286.]: *Sed quibus captus dolis, Nostros dabit perductus in laqueos pedem: Inimica credit cuncta.* In hanc sententiam plura attulimus, cum explicaremus illum Senecae versum [154]:

Professa produnt odia vindictae locum.

Timemur, hac aggredere, qua nemo potest
Quidquam timere. Perge; nunc aude, incipe,
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.
Tu, fida nutrix, socia moeroris mei
Variique casus, misera consilia adiuva.
Est palla nobis, munus aetheriae domus,
Decusque regni, pignus Aeetae datum
A Sole generis. Est et auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comae.
Haec nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate; sacra luctifica appara.
Statuantur arae, flamma iam tectis sonet.

---

v. 567. *Quicquid potes, Medea, quicquid non potes.* Graeca haec phrasis est, quam ita extulit Catullus [75, 16.]:

Hoc facies, sive hoc non pote, sive pote.

v. 570 sqq. *Palla pignus datum a sole.* De ornatu isto ait Euripides [Med. 353. Barn.]: Ὃν ποθ᾽ ἥλιος πατὴρ πατρὸς δίδωσιν ἐγγόνοισιν οἷς, *suis nepotibus.* Commemorantur autem hic tria dona, palla, monile et aurum crinale.

CHORUS.

Canit Chorus, *Reiectae uxori quot amore dolores Polluto, notumque furens quid femina posset,* et cum ceteri Argonautae poenas dederint violati maris, Iasoni bene precatur.

Nulla vis flammae tumidique venti
Tanta nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniux viduata taedis

---

v. 579 sqq. Narrat chorus, quantum dolorem afferat uxoribus virorum adulterium.

v. 580. *Teli torti*, fulminis

v. 581. *Quanta cum coniux.* Adulterium virorum quod faeminas maxime exasperet, docet Euripides in Medea his versibus [v. 263.]:

> *Γυνὴ γὰρ τἄλλα μὲν φόβου πλέα,*
> *Κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾶν,*
> *Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,*
> *Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.*

Mulier alioqui formidolosa et timida inutilisque ad pugnam, vix intueri ferrum sustinens, si laesa tori fide violata fuerit, non est alia mens magis sanguinaria. Ideo noster in Herc. Oetaeo [v. 233.]:

> *O quam cruentus faeminas stimulat dolor,*
> *Cum patuit una pellici et nuptae domus,*
> *Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta*
> *Minus est timenda, nulla non melier fera est.*

Unde et Ovidius lib. 2. de arte [v. 373.]:

> *Sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est,*
> *Fulmineo rabidos dum rotat ore canes,*
> *Nec lea cum catulis lactentibus ubera praebet,*
> *Nec brevis ignaro vipera laesa pede,*
> *Faemina quam socii deprensa pellice lecti*
> *Ardet, et in vultu pignora mentis habet.*

Ardet et odit.

'on ubi hibernos nebulosus imbres

In ferrum flammasque ruit, positoque decore
Fertur ut Aonii cornibus icta dei.

Dolorem illum ob admissam a viro pellicem ostendit etiam Oenone ad Paridem scribens his verbis [Her. 5, 70.]:

Haerebat gremio turpis amica tuo,
Tunc flevi, rupique sinus et pectora planxi
Et secui madidas ungue rigente genas,
Implevique sacram querulis ululatibus Idam.

Pindarus in Pyth. [11, 34.] dubitat, an Clytaemnestram ad occidendum maritum dolor filiae necatae, an ira inductae pellicis excitarit. Subiungit tandem nuptae odiosissimum esse, si vir in mala, ut ipse ait, sit deditus adultera. Et quidem ob eam rem multae faeminae maritos suos occiderunt, ut ex Cic. 2. offic. Capitolino, Apollonio, Palaephato, Eusebio, Appiano et Iustino patet. Hanc ob causam Thebe Alexandrum Pheraeum, Lucilla Antonium Verum, Lemniae viros omnes una excepta universae interfecerunt: haec causa est, cur Sphinx Cadmo marito bellum moverit, cur Demetrius Antigoni filius et Demetrius Nicanor ab uxoribus fuerint interempti.

v. 582. *Ardet. Ardere* pro *amare* frequens est, poëtis praesertim. Unde illud Virgilii: *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.* Et Horatii: *Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium.* Quomodo et Seneca usurpat his verbis: *Arsit obscuri dea clara mundi.* Horat. iterum lib. 3. oda 9. *Donec non alia magis Arsisti.*

v. 583. *Nebulosus imbres.* De austro Phavorinus apud Gell. lib. 2. cap. 22. *Auster, inquit, graece νότος nominatur, quia est nebulosus atque humectus.* Unde et illud Horat.

Albus ut obscuro deterget nubila coelo
Saepe Notus neque parturit imbres Perpetuos.

Auster advexit, properatque torrens
Ister, et iunctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.

Non ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos nivibus solutis

---

v. 584. *Torrens Ister.* Perinde ut Virgilius dixit *torrentia flumina.*

v. 585. *Iunctos vetat,* rumpit impetu fibulas, pilas et compages pontium.

v. 587. *Rhodanus.* Notus amnis Lugdunensis Galliae, quem accuratissime describit Amm. Marcell. lib. 15. ubi Ararim Sauconnam dicit vocari, melius fortassis legeretur Saonnam. De ostiis eius non consentiunt: Polybius et Ptolemaeus duo faciunt, Artemidorus et Plinius tria, Diodorus et Timaeus quinque, prudenter Livius [21, 26.] scribit *pluribus in mare divisum incurrere.* Videndus est etiam Strabo lib. 4.

Ib. *Impellit profundum.* Quia, ut testatur Isiodorus lib. 13. orig. c. 21. *rapido concitus cursu Tyrrheni aequoris freta scindens non modicum saepe navigantium facit periculum, dum inter se maris fluctus et amnis fluenta decertant.*

v. 588. *Nivibus solutis.* Agricola lib. 1. de ortu et caus. subterraneor.: *Halitu,* inquit, *in aëre supero refrigerato, triplex ille humidi factus exsistit. Nam si mediocriter frigescit, gignitur aqua, si valde, nix, sin in diversis locis diverso modo, h. e. in superiori mediocriter, in inferiori vehementius, grando.* Sed alii existimant, haec minus accurate tradi ab Agricola, et ita potius differre aiunt, quia ex vapore frigido et humido, seu nube in media regione aëris densata, immediate fit pluvia, quando nubes congelationem non patitur; si congeletur eadem aqua, ex

Sole iam forti medioque vere
Tabuit Haemus.

Caecus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat patiturve frenos.
Haud timet mortem; cupit ire in ipsos
Obvius enses.

Parcite, o Divi. Veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.

Ausus aeternos agitare currus

---

ea grando gignitur, at si vapor constringatur frigore, priusquam in aquam convertatur, nascitur nix. Videndus est de hisce Aristot. lib. 1. Meteor. c. 9 et 10. Seneca lib. 4. natural. quaest. a cap. 3. Plin. lib. 2. natural. quaest. cap. 38. et 42.

v. 590. *Tabuit Haemus.* Haemus mons est Thessaliam a Thracia dividens, dictus ab Hemo Boreae et Orithyiae filio. In huius montis vertice erat Martis domicilium; in radicibus vero amoena illa loca, quae Graecis Tempe dicuntur.

v. 591. *Ignis,* amor.

v. 596. *Mare qui subegit.* Iasonem intelligit, quemadmodum infra, cum ait, *parcite iusso.*

v. 598. *Regna secunda.* Vocat maria, quia secunda sorte Neptuno obtigerunt, quemadmodum inferi Plutoni tertia sorte. Unde Claud. lib. 1. de raptu Plutonem sic loquentem inducit

— — — grati quod luminis expers,
Tertia supremae patior dispendia sortis.

Immemor metae iuvenis paternae, 600

---

v. 600. *Iuvenis.* Phaëthon. Fabulam Lucianus lib. de astrolog. ad mathematicas causas, Lucretius vero lib. 5. ad naturales conatur reducere. Ille scribit Phaëthontem solis cursum deprehendisse non perfecte, sed imperfectam artem, quia morte immatura praeventus, reliquisse. Lucretius ut diluvium, sic et ecpyrosin quandam regnante Phaëthonte comminiscitur lib. 5. his versibus [v. 395.]: *Cum semel in terra fuerit superantior ignis, Et semel, ut fama est, humor regnarit in arvis. Ignis enim superavit, et ambens multa perussit, Avia cum Phaëthonta rapax vis solis equorum Aethere raptavit toto terrasque per omnes. At pater omnipotens ira tum percitus acri Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis in terram, Solque cadenti Obvius aeternam suscepit lampada mundi Disiectosque redegit equos, iunxitque trementes. Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans, Scilicet ut veteres Graiûm cecinere poëtae. Quod procul a vera est animi regione repulsum. Ignis enim superare potest, ubi materiai Ex infinito sunt corpora plura coorta. Inde cadunt vires aliqua ratione revectae Aut pereunt res exustae torrentibus auris.* Divus Cyprianus, vel, ut rectius alii, Tertullianus ab historia natum commentum voluit, sc. a Pentapoleωs incendio. Postquam in Sodoma flammas illius vindices nefandae foeditatis descripserat, addit: *Hinc habet in falso de vero fabula famam, Solis progeniem currus optasse paternos: Nec valuisse levem puerum frenare superbos Ignis equos: arsisse orbem, tunc fulmine raptum Aurigam, illicitum planctum mutasse sorores.* Ad Phaëthontem porro, qui iuvenis a Seneca h. l. vocatur, quod attinet, fuit is Apollinis et Clymenes, ut volunt Ovidius et Lucianus, vel Apollinis et Protes, ut Tzetzes, vel Cephali et Aurorae, ut Hesiodus et Pausanias, filius, cuius mors Apollo-

Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.

Constitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori:
Rumpe nec sacro, violente, sancta
Foedera mundi.

---

nii 4. Argon. Tzetzae Chiliad. 4. histor. 137. et Ovidii 2. Metamorph. notior est, quam ut debeat inculcari. Ea docet adolescentes, quomodo rempublicam capessere debeant; qui enim sola nobilitate fretus, animi bonis, virtutibus sc. necessariis destitutus, ad regimen civitatis accedat, et temere habenas reipublicae moderari praesumat, fieri non potest, quin statum eius concutiat, concussum labefactet, labefactum penitus diruat et subvertat: quare regi suo et domino superiori inconsultae audaciae gravissimas tandem poenas det oportet. Hoc Phaëthon, qui lucentem significat, Clymenes (id est gloriae cumulatae ἀπὸ τοῦ κλύω) seu Protes (hoc est primariae faeminae ἀπὸ τοῦ πρώτου) et Solis filius, paternos ausus agitare currus, et postremo vindice Iovis fulmine ambustus, videtur innuere.

v. 603. *Constitit nulli.* Hoc vult dicere: via nulli nota ante Argoam navigationem magno constitit omnibus Argonautis.

v. 606. *Mundi foedera.* Id est cum Deus et terram et aquam suo certo quamque loco assignaverit, nec commisceri inter se et confundi voluerit, et mare quidem piscibus, terram autem hominibus inhabitandam dederit, inconveniens et ab humana cum natura tum conditione alienum videtur hanc institutionem divinam iter non minus mari quam terra faciendo violare, et ita veluti foedera

Quisquis audacis tetigit carinae
Nobiles remos, nemorisque sacri
Pelion densa spoliavit umbra,
Quisquis intravit scopulos vagantes,
Et tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,

---

mundi rumpere. De his foederibus est illud Horat.: *Nequicquam Deus abscidit.* Et noster supra in hac ipsa tragoedia:

Bene dissecti foedera mundi
Traxit in unum Thessala pinus.

v. 607. *Audacis carinae.* Argus temerariae; eam enim navem audacem vocat, quod ausa sit tam periculosum iter ingredi. Notat eandem audaciam Claudianus lib. de bello Getico: ubi ita canit: *Intacti claustra freti, coëuntibus aequor Armatum scopulis audax irrumperet Argo.*

v. 608. *Sacri.* Iovi Dodonaeo.

v. 609. *Pelion.* Nam ex Pelio Thessaliae monte excisa est materia ad exstruendam Argo navem. Inde illud apud Ennium:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesae cecidissent abiegnae in terram trabes.

v. 610. *Scopulos vagantes.* Quos alias Cyaneas vocant scriptores. De quibus ita Arrianus: *Αὗται δὲ αἱ Κυάνεαι εἰσὶν, ἃς λέγουσιν οἱ ποιηταὶ πλανήτας πάλαι εἶναι, καὶ διὰ τούτων πρώτην ναῦν περᾶσαι τὴν Ἀργὼ, ἥτις ἐς Κόλχους Ἰάσονα ἤγαγεν.*

v. 612. *Religavit ora.* Voce *religare* bene et proprie utitur, perinde ut Catullus in nuptiis Pelei: *Perfidus in Creta religasset navita funem.* Et Horatius: *sive iactatam religarat udo littore navem.* Hoc in loco notandum est, quod rediturum Seneca dicit non ligasse, sed religasse

Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Iura piavit.

Exigit poenas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro,

---

funem; h. e. solvisse navem. Ligare autem funem est anchoram iacere, seu, ut ille loquitur, anchoris navim fundare.

v. 614. *Exitu diro.* Iason saue, de quo hic non agitur, quod eo vivo haec agi finguntur, mala morte periit, animi scilicet dolore, iuxta Diodor. Siculum, quia cuncti eum, ob ingratitudinem in Medeam, calamitatibus, quibus premebatur, dignum iudicabant, necem sibi ipsi conscivit. Euripides tamen in fine Medeae innuit illum ruina Argus, sub qua dormiebat, vetustate collabentis oppressum, idque eo loco Scholiastes probat.

v. 617. *Tiphys.* De Tiphy memoriae prodiderunt scriptores, cum primis vero Valer. Flacc. lib. 3. eum, cum gubernator esset navis Argo, subito, clavum manu tenentem, mortuum: sed incertum, an id evenerit, antequam Colchos pervenirent Argonautae, an in reditu, quia in expositione huius rei duo illi scriptores Nymphis et Herodorus dissentiunt, ut refert Schol. Apoll. lib. 2. [v. 854.]

v. 618. *Indocto magistro.* Discrepant sententiae scriptorum, quisnam fuerit gubernator ille navis Argo, qui Tiphy repente mortuo successerit. Nam secundum Simonidem, Apollodorum, Athenaeum, Hyginum cap. 14. is fuit Ancaeus quidam; iuxta Theotimum et Pindarum Euphemus; iuxta Herodorum, Apollonium, Valerium Erginus Neptuni filius, quod maxime probatur interpreti-

Litore externo procul a paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas iacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.

Ille vocali genitus Camoena,
Cuius ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit tota comitante silva,

---

bus. Hunc Erginum autem postea interfecit Hercules, teste Apollodoro lib. 2.

v. 622. *Aulis.* Portus Euboicus memor regem suum Tiphyn cum Argonautis navi vectum abiisse, neque unquam repedasse, naves omnes moratur et detinet, vel odio primae navis, vel ut de rege suo certior fiat. Alludit autem ad moram, quam Graeci in Aulide traxerunt. De Aulide porro Euboeae portu Strab. lib. 9. notat, eum esse periculosam navium stationem. Dictus putatur Aulis portus ab Aulide Euonymi F. Cephissi N. vel quod in eo cunctati Graeci ἀπὸ τοῦ αὐτόθι αὐλισθῆναι καὶ μεῖναι Ἕλληνας autore Eustathio. Noster ad hanc Etymologiam vel causam potius allusit, inquiens, *portubus lentis retinet.* Ideo et Lucanus lib. 2. Aulida vocat *iniquam classibus.*

v. 625. *Ille vocali.* Orpheum tradunt fuisse Calliopes et Oeagri vel Apollinis filium. Prioris sententiae autores Apollonius et Propertius lib. 2. eleg. 3. alterius Chaeris his versibus: *Πίερες αἰνοπαθεῖς στυγνὴν ἀποτίσετε λώβαν Ὀρφέ' ἀποκτείναντες Ἀπόλλωνος φίλον υἱόν.* *Pieres acerbam vindicarunt iniuriam Orpheum occidentes.*

Thracios sparsus iacuit per agros.
Ad caput tractus fluitavit Hebro.

---

v. 631. *Ad caput tractus.* Vult Orpheum a Thraciis mulieribus occisum (quas Pieres vocavit Chaeris) et caput abscissum in Hebrum proiectum. De miserabili morte Orphei a Thraciis mulieribus horribiliter et crudeliter occisi Phanocles apud Stobaeum sermone 62. sic narrat: *Τὸν μὲν Βιστονίδες κακομήχανοι ἀμφιχυθεῖσαι Ἔκτανον, εὐμήκη φάσγανα θηξάμεναι. Τοῦ δ᾽ ἀπὸ μὲν κεφαλὴν χαλκῷ τάμον, αὐτίκα δ᾽ αὐτὴν Εἰς ἅλα Θρηΐκίην ῥῖψαν ὁμοῦ χέλυϊ, Ἥλῳ καρτύνασαι, ἵν᾽ ἐμφορέοιντο θαλάσσῃ Ἄμφω ἅμα, γλαυκοῖς τεγγόμεναι ῥοθίοις. Τὰς δ᾽ ἱερῇ Λέσβῳ πολιὴ ἐπέκελσε θάλασσα, Ἠχὴ δ᾽ ὡς λιγυρῆς πόντον ἐπέσχε λύρης, Νήσους τ᾽ αἰγιαλούς θ᾽ ἁλιμυρέας, ἔνθα λίγειαν Ἀνέρες Ὀρφείην ἐκτέρισαν κεφαλὴν, Ἐν δὲ χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν.* Latine sic reddiderunt: *Eum Bistonides mala molientes ei circumfusae occiderunt, enses longos acuentes: Amputarunt igitur eius aere caput, et statim una cum testudine in mare abiecerunt clavo affigentes, ut per mare veherentur ambo simul glaucis madida undis. At ea ad sacram Lesbum admovit canum mare. Edebatur autem per mare sonitus velut argutae lyrae, perque insulas et littora salsa, ubi vocale viri Orphei sepelierunt caput, testudinem autem in tumulo posuerunt argutam.* Facit etiam miserabilis huius Orphei vitae exitus mentionem Virg. Georg. 4. [v. 523.] ubi ita canit: *Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah miseram Eurydicen, anima fugiente vocabat, Eurydicen toto referebant flumine ripae.* De eodem Ovidius [Metam. XI, 52.]: *Caput, Hebre, lyramque Excipis, et (mirum) medio dum labitur amne Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua Murmurat exanimis.* Si-

Contigit notam Styga Tartarumque,
Non rediturus.

Stravit Alcides Aquilone natos.
Patre Neptuno genitum necavit,

---

lius it. lib. 11. belli Punici [v. 477.]: *O dirae Ciconum matres Geticique furores, Et damnata Deis Rhodope, tulit ora revulsa In pontum ripis utrinque sequentibus Hebrus. Tunc quoque cum ripis caput a cervice recisum Portarent fluctus, subito emicuere per undas, Ad murmur cete toto exsultantia ponto.* Statius lib. 2. sylv.: *sic ripis ego murmurantis Hebri Non mutum caput Orpheos sequebar.*

v. 632. *Notam Styga.* Prius enim illam viderat et adierat repetendae uxoris gratia.

v. 634. *Aquilone natos.* Boreae filios Zethem ac Calaim, de quibus Propert. 1, 20. *Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, Hunc super et Zethes, hunc super et Calais.* Occidit autem hos Boreae filios Hercules in Tenedo insula, et ad rei memoriam sepulchro duas columnas imposuit, quarum alteram ferunt flante Borea solitam moveri. Causam necis prodit Apollonius, quod Argo navem in Mysiam Herculis recipiendi causa redire prohibuissent: Nicander hanc causam affert, quod pater illorum Boreas Herculem in Co insula tempestate afflixisset. Stesimbrotus id causae fuisse docet, quod cum Hercule de datis ab Iasone muneribus contendissent: Aenesidamus denique ideo Boreae filiis mortem allatam ab Hercule testatur, quod exceptum hospitio Herculem conati fuissent occidere. De hisce videndus est Scholiastes Apollonii in lib. 1. a versu 211. et versu 1300.

v. 635. *Patre Neptuno genitum.* Hunc Neptuno patre genitum Codrus sermone 1. et lib. 15. fabularum interpretatur Periclymenum, de quo Nonnus Dionysiac. lib. 13. et Ovid. Metamorph. 12., qui ait a Neptuno illum dono ac-

Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse post terrae pelagique pacem,

---

cepisse, ut in varias figuras mutaretur, et cum in aquilae formam versus esset, ab Hercule occisum, quod Nonnus in apis formam verso Periclymeno, Tzetzes Chil. 2. hist. 45. in muscam converso contigisse scribit. Tzetzae verba sunt: Ὁ Περικλύμενος ὁ παῖς Νηλέως Πολυμήδης Ὢν ἀδελφὸς τοῦ Νέστορος ἐκείνου τοῦ Πυλίου Ἐκ Ποσειδῶνος ἔσχηκε τοῦ πάππου δῶρον τόδε Πρὸς πᾶσαν μετατρέπεσθαι μορφὴν ὧν θέλοι ζώων. ὑφ' Ἡρακλέους δέ ποτε τῇ Πύλῳ πολεμοῦντος Δορὶ βληθεὶς ἀνήρητο, μετατραπεὶς εἰς μυῖαν. Hesiodus formas, in quas se vertebat, enumerat his versibus: Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον Ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων ἐνοσίχθων Παντοῖ'· ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν Αἰετὸς, ἄλλοτε δ' αὖτε πελέσκετο θαῦμα ἰδέσθαι Μύρμηξ, ἄλλοτε δ' αὖτε μελισσῶν ἀγλαὰ φῦλα, Ἄλλοτε δεινὸς ὄφις καὶ ἀμείλιχος· εἶχε δὲ δῶρα Παντοῖ', οὐκ ὀνομαστὰ, τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσεν Βουλῇ Ἀθηναίης. Haec omnia autem, quae de Periclymeno ad hunc modum a scriptoribus traduntur, a morali consideratione non aliena videntur. Nam si nomen Periclymeni perpendentes etymon investigemus, a περὶ καὶ κλύω formari inveniemus, quod hominem proclivem ad laudandum et celebratione gloriosa illustrandum significat. Itaque in Periclymeno veram parasiti et assentatoris effigiem intuemur. Parasiti enim hominum illi generi, qui se primos rerum omnium volunt, nec sunt tamen, semper arrident ultro atque eorum ingenia dicta factaque admirantur, quicquid dicunt, laudant, id rursum si negant, laudant, id quoque negat quis, negant, ait quis, aiunt et illi, postremo imperarunt ipsimet sibi, ut omnia assentari queant, omnes formas induere, et tarandi more, ad quam se rem applicuerint, illius colorem assumere.

Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Oeta,
Praebuit saevis sua membra flammis,
Tabe consumtus gemini cruoris
Munere nuptae.

Stravit Ancaeum violentus ictu
Setiger. Fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; morerisque dextra

Faciunt hoc impune, donec ad summum impudentiae gradum venerint: tunc autem intolerabiles facti, ab iis ipsis, qui illos promoverunt, de omni dignitatis gradu deiiciuntur. Ideo Periclymenum ab Hercule sub muscae (quod animal impudentissimum est) forma occisum fabulantur. Porro quando Periclymenus patre Neptuno genitus dicitur, non ita hoc intelligendum est, quasi fuerit Neptuni filius, — neque enim hoc Seneca asserit — sed tantum genitum fuisse Neptuno, quod de nepote etiam dici potest. Vox patre pro epitheto additur.

v. 641. *Gemini cruoris.* Hydrae et Nessi.

v. 643. *Stravit Ancaeum.* Quidam codices habent Antaeum, sed verior lectio est Ancaeum, tum quia Ancaeus inter Argonautas numeratur, non tantum a Valerio et Apollonio, sed etiam Orpheo, tum etiam, quia Ancaeus iste ab apro Calydonio fuit interemptus, teste Ovidio Metam. 8. Unde Gratius in lib. de Venatione — — *Ceciditque suis Ancaeus in arvis.* Multa in hanc rem tradidit Codrus Urcaeus lib. de fabulis et serm. 1. Ancaeum porro semper etiam vocat Apollonius, cuius Scholiastes in lib. 1. v. 188. multa tradit de illius cum apro funesta pugna: ubi etiam docet ab eo natum proverb. *Πολλὰ μεταξὺ.*

v. 644. *Fratres.* Quorum unus vocatus est Plexippus, alter Tocheus. (Tokeus? At vid. Apollod. 1, 7, 10. 11. et Heyn. A.M.)

Matris iratae; meruere cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus?

---

v. 646. *Matris iratae; meruere cuncti.* Sententia horum verborum haec est: Tiphys, Orpheus, Zethes, Calais, Periclymenus, Hercules, Ancaeus, Plexippus, Toxeus et Meleager male mortui sunt: quod quia dici posset ob alia crimina, quam maris violationem illis contigisse, subiungit de Hyla, de quo id suspicari non liceat. Apparet enim illum propter nullum aliud crimen interemptum, quam quia cum Argonautis una navigarat. Cum igitur Hylas, in cuius aetatem nullum crimen morte dignum cadebat, in tutis undis Bithyni fontis sit interemptus; ite vos, qui fortes haberi vultis, et navigate contemta periculosa ac dubia navigantium sorte, quae *Idmonem Vatem condidit*, h. e. *in causa fuit, ut mortuus conderetur.* Idcirco et Mopsus, dum longiorem vitam sibi spondens in vastis Libyae arenis serpit, h. e. gradum fallentibus repit quodammodo, mortuus est, ac Thebis patria sua caruit. Peleus etiam exsulavit. Nauplius vero praeceps in mare cecidit.

v. 648. *Puer.* Hylas, cuius raptum describit Propert. 1. Eleg. 20. De Hyla autem puero amisso non idem omnes et eodem modo: Apollonius et Valerius tradunt Argonautas, dum Hercules moram trahit in quaerendo Hyla, prae taedio exspectationis illum in Mysia deseruisse, Hesiodus in Magnesia. Aliam quoque alii causam relicti Herculis tradunt. Posidippus, Pherecydes, Antimachus eam ob causam desertum ab Argonautis Herculem volunt, quod sint veriti, ne mole Herculis navis tandem deprimeretur. Ephorus docet, Herculem sua sponte apud Omphalen Lydiae reginam mansisse. Omnia haec refellunt Demaratus, Diodorus et Dionysius Mitylenaeus. Nam censent eum

Raptus est tutas puer inter undas.
Ite nunc fortes; perarate pontum
Fonte timendo.

Idmonem, quamvis bene fata nosset,

---

ad Colchos usque cum Argonautis navigasse. De Hylae et raptu et parente par incertitudo. Apollonius et Valerius ab una nympha raptum volunt, Theocritus a tribus, Nicander et Orpheus a pluribus. Ceteri verius, cum aquam hauriret, incidisse in fontem, eoque non comparente factum locum fabulis. In his Onarius lib. 1. Amazonicor. Strabo lib. 12. et Solinus in Polyhist. Porro quaeritur, cuius filius fuerit Hylas; nam in eo quoque non parum discrepant scriptores. Apollonius et Mnaseas faciunt illum Theodamantis filium, Euphorion Euphemi, Hellanicus Theomenetis, Socrates in lib. ad Idotheum ipsius Herculis, qua fretus auctoritate Balbus Liliensis Annotatione 20. in Valerio Flacc. illud e lib. 4. — — *natique pios miseratus amores*, ad paternum Herculis erga Hylam affectum refert.

v. 650. *Perarate.* Pro hac voce nonnulla exemplaria habent: *Peragrate.*

v. 652. *Idmonem.* Apud Apollonium Idmon suam mortem praedicit lib. 2. Argon. ubi ita ait: *Αὐτάρ ἐμοὶ θανέειν στυγερῇ ἐπὶ δαίμονος αἴσῃ Τηλόθι που πέπρωται ἐπ' Ἀσίδος ἠπείροιο,* in Asidis continente. Mortuus est enim apud Mariandynos, de quo videndus est Apollonii Scholiastes in lib. 1. v. 139. 475. Pindari Scholiastes scribit tres vates Argonautas fuisse, Idmonem filium Abantis, Mopsum Ampyci et Amphiaraum Oiclis. Unde illud Ausonii: *Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt,* Pherecydes et Hyginus Idmonem Apollinis et Cyrenes vel Asteries filium, non Abantis fuisse scribunt.

Condidit serpens. Libycis arenis
Omnibus verax, sibi falsus uni
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si vere cecinit futura,
Exsul errabit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius praeceps cadet in profundum.

---

v. 653. *Serpens.* Bene Caelius animadvertit, participium esse, quod nobis intelligentiam huius loci aperit.

v. 654. *Omnibus verax.* Vates enim fuit certissimus et coniiciendi optimus, ut probat Strabo lib. 9. Geogr. cf. l. 14. Non loquitur autem de Mopso, Apollinis et Mantus filio, qui Calchantem superavit, sed de Mopso, quem Apollonii interpres et Isacius Ampyci et Chloridis fuisse tradunt, qui vates fuit, et Argonautarum unus. Hinc illud Apollonii lib. 4. Argon. *Ἔνθα καὶ Ἀμπυκίδην αὐτῷ ἐνὶ ἤματι Μόψον Νηλειὴς ἕλε πότμος, ἀδευκέα δ' οὐ φύγεν αἶσαν Μαντοσύναις· οὐ γάρ τις ἀποτροπίη θανάτοιο.* Huc pertinet illud Ovid. Metam. 12. *Nec tu credideris tantum cecinisse futura Ampycidem Mopsum.*

v. 656. *Qui vere.* Nonnulli codices hic legunt: *si vere.*

v. 657. *Thetidis maritus.* Peleus falso ab Hippodamia accusatus exsulavit: de quo vid. Pindarus in Nemeis, Horat. in od. et epist. ad Pisonem.

v. 659. *Nauplius praeceps.* Nauplius fuit rex Euboeae, Neptuni et Amymones f. qui volens ulcisci indignam filii necem, quem Graeci ad Troiam Diomedis et Ulyssis dolo malo circumventi lapidibus obruerant, plurimorum ex Argivorum principibus uxores in adulterium pellexit, ut Agamemnonis Clytaemnestram, Aegialeam Diomedis, Medam Idomenei, ut docet Leonicus lib. 3. var. hist. cap. 66. Nec eo contentus, redeunte a Troia victrice classe,

Patrioque pendet crimine poenas 660
Fulmine et ponto moriens Oileus.
Coniugis fatum redimens Pheraei

---

saeva iactatos tempestate, ut in caecos scopulos et praeruptas rupes pertraheret, in Caphareo promontorio et Opheltis rupibus ignes accendit; eo naufragi cursum dirigentes, portum rati, quod supererat navium, confregerunt. Describitur hoc naufragium a Basso in Anthologicis epigr. Graecorum, et Smyrnaeo derelictorum ab Homero lib. ξ. item. Seneca in Agamem. Actu 2. Ceterum cum Nauplius Ulyssem et Diomedem, quos ut prae ceteris oderat, potissimum perire expetebat, incolumes evasisse intellexit, prae ira et animi impotentia in mare se praecipitem dedit: de quo consulendus Boccatius lib. 10. geneal. Deor. cap. 59.

v. 660. *Pendit crimine poenas.* Vult hoc choro poëta ostendere, nemini Argonautarum temeritatem suam impune cessisse: sed maris ius violatum deos acriter vindicasse. Dixerat: *quisquis intravit scopulos vagantes, Et tot emensus pelagi labores Barbara funem religavit ora, Raptor externi rediturus auri, Exitu diro temerata ponti iura piavit.* Cuius rei confirmandae causa varios Argonautarum interitus memoravit; subiungit deinde de Oileo, qui quoniam cum ceteris Argivis delectis viris auratam pellem Colchis averterat, neque ullo tamen laesus infortunio videbatur, idcirco ingeniosissime comminiscitur, deos non quidem ab ipsomet temeratorum foederum poenas exegisse, sed ab ipsius filio Aiace Oileo; immisso sc. huic furioso amore Cassandrae Priami filiae: quam cum in Palladis aede stuprasset, ab hac fulmine traiectus, et a Neptuno ictus saxo in mari submersus interiit, atque hoc modo patris sui crimen quoque expiavit.

v. 662. *Coniugis Pheraei.* Per *coniugem Pheraeum* intelli-

Uxor impendes animam marito.
Ipse, qui praedam spoliumque iussit
Aureum prima revehi carina,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.

---

gitur Admetus Thessaliae rex, qui Pheris agebat. Pherae autem oppidum est Thessaliae ad Boebciden lacum, ubi Magnesia a Pelasgicis campis dirimitur; a Pherete filio Crethei, qui; pater Admeti fuit, vel a Phera Aeoli filia. Porro hoc loco notandum est, quod Alcestis marito propria morte vitam servavit, quod ostendit Eurip. in Alcest. Ex quo etiam Plato lib. 1. sympos. efficere vult: maiorem esse amorem coniugis erga coniugem, quam parentis erga liberos. Alcestis pro viro suo Admeto Thessaliae rege, qui Pheris agebat, mori voluit, cum tamen ille et patrem et matrem haberet, quos illa caritate sic superavit, ut illos nomine duntaxat filio coniunctos esse ostenderit. Quod quidem facinus dîs hominibusque sic placuit, ut, cum paucis admodum, quos aequus amavit Iuppiter, reviviscendi munus concessissent, hanc ab inferis continuo propter tam bonum facinus Herculis opera suscitarint, ostendentes, quantus esse debeat coniugalis amor, immortaliaque esse proposita illis praemia, qui eum, ut par est, coluerint. Claudianus Alcestim ab Hercule liberatam indicat his versibus: *Creditum Herculeis lucem renovasse lacertis Femina, dilecti fatis impensa mariti.* Alii volunt sponte redditam: sunt, qui scribant obviam ab Hercule mortem adamantinis catenis colligatam, Alcestim vitae reddere coactam.

v. 663. *Uxor,* Alcestis, Peliae filia.

v. 667. *Angustas inter undas,* in angusti cacabi bulliente latice.

Iam satis, Divi, mare vindicastis.
Parcite iusso.

---

v. 669. *Parcite iusso.* Iasoni, qui mandato Peliae navigationem suscepit; ipsum enim, qui iussit, satis castigatis. Iussum autem a Pelia Iasonem omnes fatentur, Apollonius, Ovidius, Valerius et alii. Solius Mimnermi verba in re notissima possunt sufficere. Ea citat Strabo lib. 1. his versibus: *Οὐδ' ὁπόταν μετὰ κῶας ἀνήγαγεν αὐτὸς Ἰήσων Ἐξ Αἴης τελέσας ἀλγινόεσσαν ὁδὸν Ὑβρίστῃ Πελίῃ τελέων χαλεπῆρες ἄεθλον.* Quos versus hisce latinis expresserunt: *Nec rutilum ex Aea portans satus Aesone vellus Difficile undosum per mare mensum iter Iniusti iussu Peliae certamen obivit.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Crescit ira Medeae magis magisque, et parat veneficia, invocat Hecaten, et illita dona malis artibus atque carminibus dat liberis Creusae offerenda.

NUTRIX.

Pavet animus, horret; magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, et semet dolor
Accendit ipse, vimque praeteritam integrat.
Vidi furentem, saepe et aggressam Deos,

---

v. 671. *Immane quantum.* Hellenismus. Horat. od. 27. lib. 1. *Immane quantum disc.*

v. 672. *Integrat.* Antiquae tragoediae verbum est, quo usus etiam Attius in Antenoridis hoc versu: *Namque venio huc, ut mea ope opes Troiae integrem:* sic Pacuvius in Chryse: *sed cesso inimicitiam integrare.* Sic Paulus lib. 2. sentent. cap. 15. Mandati iudicio pretii summam poterit integrare. Papinianus l. quamvis. D. de lut. et rat. dist. Tutelam pristinam integrare. Idem alibi: Integrato Iure debiti dixit. Contrarium est deintegro, quo usus fuit Caecilius Comicus: Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit.

v. 673. *Aggressam deos.* Incantationibus suis eos subigens et compellens parere.

Coelum trahentem. Maius his, maius parat
Medea monstrum. Namque ut attonito gradu
Evasit, et penetrale funestum attigit;
Totas opes effudit, et quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum, arcana, secreta, abdita.
Et triste laeva comprecans sacrum manu,
Pestes vocat, quascunque ferventis creat
Arena Libyae, quasque perpetua nive

---

v. 674. *Coelum trahentem.* Astra tam erratica, quam fixa. Estque synecdoche partis pro toto, si coelum statuatur esse eiusdem speciei tum astris, et astra coeli pars, ut quidam volunt: vel est continens pro contento, si astra specie a coelo discrepant, eique duntaxat infixa sunt, ut plerique malunt. Porro antiqui astra deos esse putabant, et a maleficis coelo deduci. De quo vidend. Plutarch. in lib. de orac. defectu, et Schol. Apoll. in l. 3. Argon.

v. 680. *Laeva complicans manu.* De licio loquitur, quod huic rei sagae adhibebant, ut apud Theocr. et Virg. in Pharmac. Quando autem addit *laeva manu*, sciendum est, veteres infaustis et tristibus rebus laevam manum adhibere solitos, quandoquidem etiam tristia et adversa a diis laeva manu dari credebantur.

v. 681. *Quascunque.* Perite serpentes et venena ex iis locis advocat, quae vel frigore rigent, vel aestu torrentur. In his enim herbas lethales, et venenata nasci animantia cuncti Geographi testantur.

v. 682. *Ferventes creat arena Libyae.* Libya Africae regio Aegypto ab occasu contermina, tota arenis, aestu, siccitate squalet. Lucanus *aestiferam* vocat et *sitientem*, Claudianus *perustam*, et nimio calore munitam, squalentem, anhelantem, semper solibus torridam lib. 2. in Rufin. et

lib. 2. Gildon. Sunt, qui nomen deducant ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι τοῦ ὕειν, quod sit pluviae indiga, licet alii malint a Libya Epaphi filia, vel quod inde Libs ventus spiret. Serpentes in Libya nasci solitas describit, Nicandrum imitatus, Lucanus lib. 9. sc. aspides, dipsades, haemorrhoim, chersydrum, chelydrum, cenchrim, hammoditem, cerasten, scytalen, amphisbaenam, natricem, paream, iaculum, presterem, sepa, basiliscum, solpugam, scorpium, draconem, et alias, quarum formam et ingenium describit Nicander in Theriac. et Woltonus lib. 6. de different. animalium, multis capitibus. Quarundam meminerunt etiam sacri Poëtae, viperae et aspidis Prudent. lib. 1. contra Symmach. et in Hamart. Scorpii et Cerastarum Dracontius in Hexamero; sepis Tertullianus, multorum Fortunatius hoc disticho, de partu virginis agens: *Regulus atque aspis, cedunt queis cuncta venena, vipera, chersydros, sepsdraco, cenchrys, hydris.* Unde autem in Libya tam fertilis malorum seges anguium, non satis definitum. Lucanus causam in Medusae fabulam, et stillantes illic cruoris Gorgonei guttas refert: cui Silius lib. 3. assentit, sed eandem causam tamen prior prodiderat Apollonius ἐν τῇ τῆς Ἀλεξανδρείας κτίσει. Acusilaus mavult venenata ista animantia nata ex Typhonis sanguine, Nicander ex Titanum cruore, cui causae asserendae producit testimonium Hesiodi, eiusdemque hos versus [Ther. 8.]: Ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια σὺν καὶ ἀνίγρους Ἑρπηστὰς, ἔχιάς τε καὶ ἄχθεα μυρία γαίης Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος, εἰ ἐτεόν περ Ἀσκραῖος μυχάτοιο μελισσήεντος ἐν ὄχθαις Ἡσίοδος κατέλεξε παρ' ὕδασι Περμησσοῖο: hos versus graecos hisce latinis reddidit Gorraeus: *serpentes saevos, tetroque phalangia morsu, vipereumque genus, terraeque incommoda mille Titanum fama est fuso exilisse cruore, vera Melissaeo si quondam Ascraeus in antro Hesiodus cecinit Permessi ad fluminis undam.* Zenodoteus Theophilos historiam arcessit, in Atti-

Taurus coërcet frigore Arctoo rigens;

---

ca pueros fuisse duos, mari nomen Phalangius, sorori Arachne, et singulos insolenter arte, quam profitebantur, cum Pallade contendisse: at victos a dea in serpentes commutatos: ab hisce deinde noxium genus pullulasse, ut auctor est Nicandri Scholiastes.

v. 683. *Taurus coërcet frigore Arctoo.* Taurum Ptolemaeus lib. 5. et 6. Geograph. et Mela lib. 1. cap. 15. montem Asiae tradunt orbis maximum, si Eustathio fides, a magnitudine nomen sortitus, (Nam a veteribus, omnia, quae robore aut mole corporis praestant, ταῦροι dicuntur.) universam Asiam discriminat. In Lycia Taurus vocatur, deinde Haemodes, mox supra Iberiam in Bactris Caucasus, tum Paropamisus, inde Caspiae pilae, mox Niphates, tum Armeniae pilae, et ubi iam nostra maria attingit, iterum Taurus, ut scribit Pomponius: numerosis et novis nominibus, quaecunque incedit, insignem dicit Plinius: Habet enim, praeter ea, quae iam allata sunt, complura alia nomina, ut Imaus, Crugus, Cirelus, Pariedrus, de quibus Ptolemaeus dictis locis, Strabo lib. 2. et 11. Plin. lib. 5. c. 27. Solinus Polyhist. c. 41. Orosius lib. 3. Hormistae c. 2. Amm. Marcell. lib. 23. et D. Isidorus lib. 14. orig. cap. 8. Dionysius Periegetes a forma, quod tauriformis sit, vocatum scribit. Proprie Taurus dicitur, qua Pamphyliam et Ciliciam ab Armenia minore et Cappadocia distinguit, quae causa Tibullo scribendi lib. 1. *Quantus et aetherio contingens vertice nubes Frigidus intonsos Taurus arat Cilices.* Et Ovid. Metamorph. 2. *Ardet Athos, Taurusque Cilix.* Seneca h. l. non tam de Tauro proprie dicto, quam de boreali eius parte agit, quae Caucasus dicebatur, perpetuis nivibus obsessa, unde et teste Isidoro cap. 8. nomen nacta. Atque ea pars tum frigidissima. Unde Valerius lib. 5. Argon.: — *Ultimus inde*

Et omne monstrum; tracta magicis cantibus
Squammifera latebris turba desertis adest.
Hic sera serpens corpus immensum trahit,

---

sinus, saevumque cubile Promethei Cernitur in geminas consurgens Caucasus Arctos. Et Claud. lib. 1. in Ruf. *Quicquid lethali germine pollens Caucasus aut Scythicae vernant in gramine rupes.*

v. 684. *Et omne monstrum.* Vocat omne monstrum, vocatum trahit et cogit adesse cantibus. Nam Magi cantu serpentes attrahebant, unde idem hie noster v. 704. *Postquam evocavit omne serpentum genus.* Sed et cantu rumpebant, iuxta illud Virgilian.: *Frigidus in pratis.* Huc pertinet illud Pomponii in Pictoribus: Mirum est ni haec Marsa est, in colubros callet canticulam. Meminit etiam serpentum incantationis Arist. in lib. de admirand. audition. Meminere Plinius et alii de Marsis agentes. Meminere D. Basilius et D. Ambros. in Hexam. D. Augustin. in Psalm. D. Chrysost. lib. 2. de fato: et ipse rex ac propheta deo plenus David. Ps. 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdae et obturantis aures suas. Quae non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. Et significat Ierem. cap. 8. his verbis: Ecce ego mittam serpentes regulos, quibus non est incantatio. Negari ergo non debet id fieri, ut videtur negare Franc. Valesius lib. de sacra Philos. cap. 3. sed negari debet, virtute verborum id contingere, quibus nimiam vim asscripsere olim Zoroaster, Platonici, Magi et Caballistae. Non autem hoc Magus incantator verbis suis efficit, sed ex pacto *daemon ipse,* ut docet Bern. Basinus. Propos. 5. de artibus magicis.

v. 686. *Hic sera serpens.* Variat huius loci lectio. Aliis *fera,* aliis *sera,* aliis *effera* legentibus. *Fera* ut legatur, respuit metri ratio, quod cum nonnulli animadverterent,

Trifidamque linguam exsertat, et quaerens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestis plicat,
Cogitque in orbes. Parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Coelo petam venena. Iam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.

---

pro voce *fera* substituerunt *sera*. Atque illi seram serpentem interpretantur propter immensam suam molem sero advenientem. Qui *effera* legunt, viderint, an anapaestum in secunda regione Senecae contra illius consuetudinem possint tribuere: ut non absurde nonnulli *saeva* hoc loco legendum arbitrentur.

v. 687. *Trifidam* vocat linguam, quo modo et Ovidius lib. 3. Metamorph.: *Martius anguis erat cristis praesignis et auro, Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno Tresque micant linguae.*

v. 689. *Tumidum* sc. veneno.

v. 690. *Cogitque in orbes.* Virg. in culice de serpente agens hoc aliter expressit, ita scribens: *squamosos late torquebat motibus orbes.* Et id. ib. *Flexibus eversis torquetur corporis orbis.* Ovidius ita: *ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet.* Et idem: *Ipse modo immensum spiris facientibus orbem cingitur.*

v. 692. *Venena.* Intelligenda sunt mala. Nam iurisconsulti tradunt venena quaedam esse bona, sed usus obtinuit, ut voce veneni noxium tantum designetur. Ita Seneca lib. 2. de benef. c. 18. *Venenum aliquando pro remedio fuit; non ideo numeratur inter salubria.* Quae verba Senecae de bono veneno non possunt accipi. Sunt, in quibus sunt Iunilius et Beda, qui existimant, herbas venenatas ab initio mundi creatas non fuisse, sed post pri-

Huc ille vasti more torrentis iacens
Descendat anguis, cuius immensos duae,
Maior minorque, sentiunt nodos ferae;
Maior Pelasgis, apta Sidoniis minor.

---

mum peccatum hominis demum natas. Alii autem ita censent, naturalia venena, ut helleborum et cicutam, ac similia initio mundi a Deo creata, sed artificialia diversis postea temporibus hominum perversitatem excogitasse.

v. 694. *Huc ille.* Totus ille locus pertinet ad versus Arati initio operis: *Τὰς δὲ δι᾿ ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥὼξ Εἴλεῖται, μέγα θαῦμα, δράκων περί τ᾿ ἀμφί τ᾿ ἐαγὼς Μυρίος. αἱ δ᾿ ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φύονται Ἄρκτοι·* Lat. *Has vero per ambas qualis fluvii decursus volutat (horrendum) ingens draco circumcirca distractus immensus: Verum ei ex utraque parte spirae haerent.* Hyginus lib. 2. cap. 3. docet, quomodo hic anguis ambas ursas amplectatur, minorem collo et capite, maiorem cauda. Firmicus lib. 8. Astron. cap. 17. Anguis, ait, extremus est, qui inter duas Arctos positus est in modum fluminis, quod sinuosis flexibus labitur. Idem ex Hesiodo confirmat Theon in Aratum, et praeterea scribit, secundum quosdam hunc esse serpentem a Cadmo occisum, custodem horti Hesperidum iuxta alios, iuxta plerosque Pythonem, quem Apollo iaculis confixit.

v. 697. *Maior Pelasgis.* De iis ita iterum Aratus: *Οἱ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι, Τὴν δ᾿ ἑτέρην Ἑλίκην· Ἑλίκην γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν, Τῇ δ᾿ ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.* Manil. it. lib. 1. Astron. *Minoremque Helice maior decircinat Arcton. Septem illam stellae certantes lumine cingunt, Qua duce per altum Graiae dant vela carinae. Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe*

Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina.
Et hydra, et omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens, caede se reparans sua.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,

Tam spatio, qua luce minor: sed iudice vincit Maiorem Tyrio. Poenis haec certior auctor Non apparentem pelago quaerentibus orbem. Festus Avienus autem: *Namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum Dirigit.* Idem tradunt Ovid. lib. 3. Fastor. 41. 4. Trist. elog. 3. Valerius Flaccus lib. 1. et Hyginus lib. 2. Astron.

Ib. *Apta Sidoniis minor.* De hac idem Aratus: *Μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι. Τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται. Minori enim tota circumversatur orbe etc.*

v. 698. *Ophiuchus.* Dictus teste Proclo, quasi ὀφιοέχος quod serpentem tenet. Graecam vocem Seneca post Germanicum Caesarem retinuit. Cicero Latinam finxit — — — *Anguitenentis quem claro perhibent Ophiuchon nomine Graii.* Quis anguitenens ille sit, varie traditur. Bassus et Avienus dicunt esse Aesculapium, Hegesianax Carnabontem Getarum regem, Polyzelus Rhodius Phorbantem Tropae et Hiscilles filium: alii Herculem, nonnulli Triopam Thessalum: quidam Promethea; ceteri vel Tantalum, vel Thybrin, vel Thesea vel Ixionem. de quibus videndus est Hyginus et Theon.

v. 700. *Gemina numina,* Apollinem et Dianam recens a Latona editos. De Pythone multa Nicander et Scholiastes eius in Theriacis, item Ovidius lib. 1. Metamorphoseon.

Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam evocavit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustae mala,
Quaecunque generat invius saxis Eryx,
Quae fert opertis hieme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei,

---

v. 704. *Sopite serpens.* Serpentem hunc Pherecydes occisum vult, sed Antimachus et Apollonius sopitum duntaxat.

v. 706. *Frugis infaustae mala* sunt selectae deliriis illarum herbae, coria caesia, calicia, apraxis, agaophotis, achaemenidon, et similes, quas sparsim Plinius et Apuleius recensent.

v. 707. *Invius saxis Eryx.* Eryx nobilis mons Siciliae, dictus ab Eryce, quem Hercules caestibus superavit. Mari imminet ad Italiae prospectum et inter Drepanum et Panormum alte eminet, praeruptis undique rupibus circinatus: in summo planicies iacet duodecim millium passuum pervia et culturae aptissima. Maritimis auris praeclare expositus est, et mortiferarum ferarum omnino expers. A mari et mediterranea regione rupes habet inaccessas. Ex quo intelligitur, unde sit, quod a Silio Italico dicatur lib. 14. — — *Nec non altus Eryx:* nam teste Pomponio Mela, post Aetnam Siciliae montium est altissimus; item cur ab Ovidio lib. 4. Fastor. dictum sit: *Zephyro semper apertus Eryx;* cur denique noster invium saxis vocarit. Eundem autem montem herbas noxias et veneficiis aptas gignere, sunt qui negant, uspiam se, nisi hoc loco, legisse.

v. 709. *Caucasus Promethei.* Propert. el. 12. lib. 1. de hisce herbis in Caucaso monte enatis — — *an quae lecta Prometheis dividit herba iugis.* Valer. Flaccus lib. 7. ait:

Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis,

Prometheae florem de sanguine fibrae Caucaseum, tonitru nutritaque gramina promit, Quae sacer ille nives inter tristesque pruinas Durat, editque cruor; cum viscere vultur adesse Tollitur e scopulis, rostroque irrorat aperto. Idem tradit Apollon. lib. 3. De quibus videndus est praeterea Cael. Rhodig. lib. 7. antiq. lect. cap. 23. Fuit autem haec herba a Prometheo vocata propterea, quod ex eius cruore nata sit. Nam, ut ait Attius: *Ex eo liquatae solis ardore excidunt Guttae, quae saxa assidue instillant Caucasi.* Et hanc ob causam Caucasus dicitur sparsus sanguine Promethei. Fugavit hanc avem, sive illa aquila, sive vultur fuerit, Hercules: liberavit autem Prometheum Iapeti fil. ut Poetae canunt, Hesiodus, Apollonius, Horat. ect. Sed alia partim historica, partim mythologica ex Duri, Pherecyde, Herodoro, Agroeta, et Theophrasto adfert Apollonii Scholiastes lib. 2. v. 1251. multa etiam ex illo, etsi non nominent, Caelius lib. 7. cap. 19. et Natalis lib. 4.] Mythol. c. 6. Pierius item Hieroglyph. lib. 18. et 19. Alludit ad hanc Promethei poenam Ennius, ut colligitur ex Cic. Tusc. 1. et orat. in Pisonem: his verbis: *Tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis, Evisceratus latere penderes, saxa spargens tabo sanie, sanguine atro.*

v. 710. *Pharetraque pugnax Medus.* Dionysius Periegetes Τοξοφόρων Μήδων. Idem Mediam a Medea, eo se ex Attica recipiente, vocatam et inde venenis affluere cecinit. De nomine censet Strabo lib. 13. a Medo, Medeae filio deductum, cui ceteri Geographi assentiuntur. Ἀναχρονισμὸς ergo nostri foret, si Medeae nutrix Mediae meminit, nondum nato Medo, nec in Atticam profecta Medea. Sed falluntur Graeci, ut solent, in nominum rationibus reddendis. Origo enim Hebraea. Nam sic nominata

Et queis sagittas divites Arabes linunt,

---

provincia a Madai Iapheti filio iuxta Iosephum lib. 1. Iudaicar. antiq. cap. 14.

Ib. *Parthus levis.* Parthum levem vocat, quia veloces erant Parthi equites. Utebantur veneno patrio, quod Scythicum nominatum, teste Arist. lib. de admirand. audition. Dicti Parthi, quia sic Scythae fugaces et exsules vocant, de quo consulendi Iustin. lib. 41. Strabo lib. 15. et Ptolemaeus lib. 6. Est autem iuxta Plin. lib. 6. cap. 25. *Parthia Asiae maioris regio circa Persas inter flumen Indum et Arios ab oriente, Tigrim et Mediam ab occasu, desertum Carmaniae a meridie, et Hyrcaniam a septentrione sita.* Diligenter autem cavendum est, ne confundamus Persiam cum Parthia. Illa enim antiquior, et Persiae partem occupavere Parthi. Persia sive Persis Pharas Hebraeis dicta forte ab equitatu, vel quia illic equites optimi. Nam Pharas Hebraeis idem est quod eques, unde Parasanga spatium 30 stadiorum, quod etiam Parsam dixere. Ad terminos Persiae quod attinet, habet illa ab oriente Iudaeam, a septentrione Mediam, ab occasu Susianam, ab austro sinum Persicum, ut docet Volaterranus Georg. lib. 12.

v. 711. *Arabes.* Arabia triplex vulgo etiam statuitur, Felix, Petraea (quam etiam Nabathaeam vocari docet Strabo) et deserta, quae scenites dicitur. De quibus videndi Plin. lib. 5. et 6. Strabo lib. 16. et Ptolomaeus lib. 5. Genericum ergo nomen Arabia, ut et Hebraeis עֲרָב sed specifica, ut vocant, seu partialia: Deserta, Petraea, Felix: sola petraea Nabathaea; sola deserta scenitis; sola Felix Sabaea, Saba vel Seba. Felicem Arabiam eleganter describit Dionys. et Pompon. Mela lib. 3. Ea peninsulae forma inter sinus Arabicum et Persicum tenditur a septentrione, attingit Arabiam desertam. Porro Arabes

Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus vere nidifico creat,

---

tam infames olim fuerunt latrociniis, ut Hebraeis Arabs latronem denotet, Cananaeus mercatorem, Chaldaeus mathematicum. Notavit illam Arabum latrociniorum consuetudinem Ieremias cap. 3. etc. Divites Arabes noster vocat, qui Arabiam felicem incolunt, de quibus Venantius Fortunatus in Phoenice cecinit: *quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs.* Porro cum dicit noster *sagittas linunt*, sciendum veneno sagittas linere solitos non Arabes modo, sed et Graecos, teste Homero Odyss. lib. 1. Faciebant idem Itali teste Virgil. lib. 9. et 10. Parthi teste Virg. lib. 12. et Ovidio Trist. Daci et Dalmatae teste Paulo Aegineta lib. 6. cap. 88. Cyrrhaei autore Theophrasto lib. 9. hist. plant. Aethiopes autore Nicandro in Alexipharm. Scythae teste Ovidio de Ponto et Plin. lib. 12. omnes denique Barbari, si credimus Dioscoridi lib. 6.

v. 713. *Lucis Suēvi nobiles Hercyniis.* Ex hoc loco patet, Suevorum fines olim, quam hodie, latiores fuisse, siquidem teste Strabone lib. 7. intra et extra Hercyniam habitabant; Hercyniam sylvam Graeci Orciniam appellabant, autore Caesare lib. 6. de bello Gallico. Hercyniae sylvae etiam meminit Apollonius lib. 4. ubi Scholiastes Ἑρκύνιον ὄρος Κελτῶν ἢ δρυμός. Vidend. et Solinus cap. 22.

v. 714. *Vere nidifico.* Ver potissimum nominat, quod eo anni tempore herbae ut plurimum excrescunt, earumque succus efficacior. Unde de vere pulchre et vere vetus Poëta: *coelum nitescere, arbores frondescere, vites laetificae pampinis pubescere, Rami baccarum ubertate incurvescere, segetes largiri fruges, florere omnia, Fontes scatere, prata herbis convestirier.* Sed et hac de causa ver vocat *nidificum*, quia verno tempore nidificent aves. Ubi obi-

Aut rigida cum iam bruma decussit decus
Nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu.
Haemonius illas contulit pestes Athos;

---

ter notandum, annum priscos Aegyptios in tria tantum tempora divisisse: ver, aestatem, autumnum. Alii quartum addunt, hiemem, quae singula eleganter depingunt Nonnus in Dionys. Philostrat. in imag. Georg. Pisides lib. de mundi opificio a versu 266. usque 317. Virgil. in Catalectis. Ovid. lib. 2. Metam. et noster Hippol. 963. His anni partibus iuxta Hesiod. in Theog. et Orpheum in Hymn. Horae praesidebant. Unde vero dictae et quomodo computandae, discere potestis ab Hippocrate lib. 3. de diaeta, et Paulo Aegineta lib. 1. cap. 100., et qui ex illis sua desumpsit, Iohanne Lalamantio in lib. de temp. et eius partibus.

v. 717. *Quodcunque gramen.* Gramen pro quavis herba h. l. sumitur, ut et apud Maronem illo versu: *qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus.* Gramen proprie dictum Marti sacrum fuisse refert Ovid. Fast. 5. Ac sunt, qui suspicantur, illud solum initio victos victoribus porrexisse: unde proverb.: Herbam porrigere. Ab hoc dicta corona graminea militaris, de qua Plin. lib. 22. nat. hist. et Lazius lib. 9. commentar. reip. Rom. cap. 8.

v. 720. *Haemonius Athos*, Thessalus. Est enim Athos mons Thessaliae editissimus, adeo ut umbram in Lesbum usque iaciat, teste Scholiaste Apollonii in lib. 1. vers. 601. et Stephano περὶ πόλεων. Sunt, qui putant, eum mediam aëris regionem altitudine sua superare, ut et Teneram in fortunatis insulis, qua de re videndae et examinandae sunt sententiae Philosophorum.

Has Pindus ingens, illa Pangaei iugis
Teneram cruenta falce deposuit comam;
Has alluit altum gurgitem Tigris premens;

---

v. 721. *Pangaei iugis.* Pangaeus promontorium est Thraciae Bessis conterminum et Macedoniae coniunctum, in quo, ut scribit Herod. lib. 7. aurea sunt et argentea metalla, et ad radices eius Nestis amnis defluit.

v. 722. *Cruenta falce.* Falcem illam fuisse aeream volunt. Magicis enim rebus aes potius adhibebatur, quam aliud metallum, quod ei vim quandam medicatam inesse opinabantur, teste Turnebo in Adversar. sed et Macrob. idem docet lib. 5. Saturnal. c. 19. adducto Sophoclis fragmento e tragoedia quae ῥιζοτόμος inscribitur, cuius imitatione ait Virgilium scripsisse: *Falcibus et messae ad lunam quaeruntur ahenis Pubentes herbae nigri cum lacte veneni.* Unde est et illud Ovidii Metamorphos. 7. *Plantas partim radice revellit Partim succidit curvamine falcis ahenae.* Nam etiam ad rem divinam faciendam pleraque ahenea adhibebantur, teste praeter alios Carminio lib. de Italia 2. his verbis: Prius itaque et Thuscos aeneo vomere uti, cum conderentur urbes, solitos, in traiectitiis eorum sacris invenio: et in Sabinis ex aere cultros, quibus sacerdotes tonderentur.

v. 723. *Altum gurgitem Tigris premens.* Tigris Asiae fl. est insignis qui in Armenia maiore loco plano et conspicuo nascens per Arethusam lacum ita transfluit, ut neque aquae neque pisces commisceantur. Occurrente deinde Tauro in specum demergitur, et ab altero eius montis latere erumpit: et mox per Thesbiten lacum transvectus rursus in cuniculos mergitur, et post 25 m. pass. luci redditur. Post haec Mesopotamiam ab ortu alluit, tandemque in duo divisus cornua in Euphratem influit, a quo in Persicum sinum defertur. Dictus Tigris a cursus

Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Baetis suis,

---

celeritate, propterea quod sagittae, quam Tigrim sua lingua Medi appellant, velocitatem adaequare videtur.

v. 724. *Danubius*, maximus Europae fl. qui ortus in iugis Abnobae montis Germaniae, ut Plinius existimavit, ex adverso Rauraci Galliae oppidi multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus gentes, Danubii nomine, immenso aquarum auctu, ubi primum Illyricum alluit, Ister appellatus, 60 amnibus receptis, dimidia ferme parte eorum navigabili in pontum vastis sex fluminibus evolvitur. Hodie tamen compertum est, Danubium plano in loco nasci in agri Furstembergensis vico, qui a fonte eius nomen accepit. De nomine Danubii notandum est, quod Stephanus prodidit. Scribit enim Istrum aliquando Matoam vocatum: sed cum Scythae eum praedas acturi traiecissent, et magnam cladem accepissent, a damno hoc, cuius ille autor videbatur, δανούσιον dictum et postea δανούβιον.

v. 725. *Hydaspes* fl. Indiae, qui per Parthos et Medos fluens in Indiam usque extenditur, Nisamque urbem alluens Indo flumini miscetur. Alii non in Indum, sed in mare labi tradunt: unde Lucan. lib. 6. *Qua rapidus Ganges, et qua Nisaeus Hydaspes Accedunt pelago.* Dictus ab Hydaspe antiquissimo Medorum Rege. *Gemmifer* a nostro vocatur, quod in eius alveo magna gemmarum copia reperiatur, veluti lychnis, adamas, beryllus, achates, et alii innumerabiles.

v. 726. *Baetis.* Baetis, quod varie scribitur, quibusdam simpliciter, quibusdam per *ae*, quibusdam per *th*, aliis per *y* scribentibus, fluvius est Hispaniae ulterioris, a quo Baetica Hispaniae regio dicta, quae ab incolis Tudetana:

Hesperia pulsans maria languenti vado;
Haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem;

---

quemadmodum ipsi incolae Turdetani et Turduli dicuntur. Dictus Baetis παρὰ τὸ βάθος, *profundum*, *α* in *ε* mutato. Demissus ex agro Tarraconensi mediam Hispaniam perfluit, mox mari propinquus lacum efficit magnum, ac demum in occidentalem Oceanum effunditur. Ab illo flumine Baeti dicta est Baetica tertia pars Hispaniae. Ea nunc Granada dicitur, a grano, quod Graeci coccum vocant, quod in ea copiosum coccum gignatur. De Baeti fl. praeterca notandum, quod ut in illius alveo magna auri copia, ita in ripa magna olivarum ubertas reperiatur. De olivitate Sil. lib. 3. *Genuit quos ubere ripa Palladio Baetis velatus cornua tauro;* et Statius lib. 2. sylvar. *Unctis Baetica provocas trapetis Lucanum potes imputare terris.* Et mox: *Attollat refluos in astra fontes Graio nobilior Melete Baetis; Baetim Mantua provocare noli.* Martialis it. *Baetis olivifera crinem redimite corona: Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.* De auro Arist. in admirand. audition. Sed et Stephanus, cum de Ἴβυλλα agit, quam recte nos Hispalim interpretamur et ait, παρ' οἷς μέταλλα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου.

v. 727. *Languenti vado.* Languere vadum dicitur propter ampla spatia terrarum, quae tunc occupat lacui ferme similior. Nam dimissus ex Tarraconensi provincia divisaque Hispania, priusquam in mare labatur, efficit magnum lacum, unde fit, ut minore impetu in Ocean. incidat.

v. 728. *Haec passa ferrum.* Qui non nisi aes ad haec recipiunt, aes fortasse pro ferro sumunt poetice, quod Turnebo visum lib. 6. Adversar.

Ib. *Dum parat Phoebus diem*, ante ortum solis, lucente luna. Nam, ut idem Turneb. lectas ad lunam herbas efficacitatis plus obtinere credebant, quia Luna prae-

Illius alta nocte succisus frutex;
At huius ungue secta cantato seges
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit, miscetque et obscoenas aves,

---

ses veneficiorum herbas quadam sua saliva seu spuma aspergeret. Unde illud Lucani de Luna: *Donec suppositas propior despumet in herbas.* Valer. Flaccus: *Quamvis Athracio lunam spumare veneno sciret.* Eamque ob caussam censebant, lunae plenae maiorem esse vim. Quo pertinet illud Ovidii: *Postquam plenissima fulsit Et solidâ terras spectavit imagine luna.* Hinc intelligitur etiam, quare subiungat Seneca: *Illius alta nocte succisus frutex;* quo videlicet tempore luna, medio itinere confecto, totam nostro se infert haemispherio.

v. 732. *Obscaenas aves,* ferales, inauspicatas: unde Virgil.: *Ne me terrete manentem Obscaenae volucres.* Quae sint illae aves, declarat noster vers. seq. *Moestique cor bubonis et raucae strigis,* quae duae mali ominis et diri eventus aves plerumque coniungi solent: unde Papin. lib. 3. Theb.: *Monstra volant, dira strident in nube volucres, Nocturnaeque gemunt striges et feralia bubo Damna canens.* Est in hoc numero Incendiaria avis seu spinturnix, de qua Plinius lib. 10. Nat. hist. cap. 13. Bubo solivaga est avis et nocturna, gemens verius quam cantans, ideo moestum vocat, de quo multa Crinitus lib. 2. de h. d. cap. 25. Alex. ab Alex. lib. 5. gen. dier. c. 13. Pierius lib. 20. Hieroglyph. Edoard. Wolton. de different. animal. c. 136. Huc pertinet illud Ovidii lib. 5. Metamorph. de Ascalapho: *Foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus, Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.* Strix seu stridula et ipsa volucris funesta, quae, non satis notum, ut fatetur Woltonus dicti operis lib. 7. cap. 152., post Plin. lib. 11. cap. 39. neque explicat Festus in voce *strix,* insuper

mendosus, teste Turnebo lib. 14. Adv. c. 1. Neque Hermolaus in voce *stria*, post Plinianas annot. Graecis στρίγξ et κέρχνη vel κερχνηΐς sic describitur ab Ovidio lib. 6. Fastor.: *Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis, Canities pennis, unguibus hamus inest. Nocte volant, puerosque petunt, nutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris, Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen, sed nominis huius Causa, quod horrenda stridere nocte solent.* Alii striges venenata sua ubera infantibus praebere existimant, atque ita perimere specie pietatis; unde Serenus: *Praeterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsortis ubera labris.* Credunt nonnulli, in has aves se vertere quodam unguine sagas, qua de re consulendi Sprenger in malleo part. 2. et Albert. de spina in quaest. de strigib. et in Apologia de Lamiis contra Ponfinibium, quod inde pendet, An daemones queant unam creaturam in alterius speciem commutare. Sane quod Strigae, sive, ut alii volunt, striae vocentur huiusmodi mulierculae, ex hac opinione natum, quia infantibus exitium moliuntur, sive exsugendo illorum sanguinem, ut vulgus credit, sive venenatum quid puerulorum labellis ingerendo, ut ex plurimarum iudiciali confessione a Quaestoribus, Pompeiopoli Anno 1583. excepta constat. Cum autem inveniantur, qui Lamias cum strigibus confundunt, sciendum est, eos vehementer falli, quod pluribus hoc loco docere non inconveniens videtur. Lamiae enim, ut recte docet Strabo, et Lucilius apud Lactantium, inania sunt terriculamenta, idque vel inde potest colligi, quod certi nihil de illis traditur. Quidam daemones quosdam vel spectra tantum esse censent, quae Empusae dicuntur. Ita statuit Philostratus in vita Apollonii Tyanaei, Saxo Grammaticus in hist. Danica, et Olaus in descriptione Septentrional. region. Earum forma plane fabulosa ab Aristotele, Plu-

oestique cor bubonis, et raucae strigis
ɛsecta vivae viscera. Haec scelerum artifex

---

tarcho et Eustathio est petenda. Alii tradunt, Lamiam fuisse mulierem Ponticam, quae gravidarum faeminarum alvos caedebat, et extractos inde pueros devorabat: Ita Aristot. in Ethicis Nicom., Clemens Alex. in Protrept., Horat. in epist. ad Pisonem. Diodorus autem Siculus, Phavorinus et Suidas ita referunt: In Asia apud Automolas esse, in qua habitarit Lamia regina, eximiae pulchritudinis mulier a Iove adamata, quae cum filium amisisset, et orbitatem non ferret, prae zelotypia omnes ex matrum gremio rapi pueros et occidi iussit: ingurgitare etiam se vino solitam, et domi manere, nec negotia regni curare, ideo creditam domi caecam esse; tandem ob morum feritatem in feram commutatam. Sed Dion in Libyca histor. feras esse hoc nomine scribit umbilico tenus faeminea forma praestantissima, reliquum corpus squamis confertis et impenetrabilibus contegi, et imum in serpentem horribilem desinere, cuius extremum sit caput, brachia squamis similibus vestita, manus aquilino more uncungues esse, has abscondere, et sororiantibus mammis homines sibilo quodam sono (haec illarum vox) allicere: tum prope accedentes unguibus arripere, et serpente circumvoluto necare, et cadaveribus vesci. Lamiae quoque sacri vates Esaias et Ieremias meminerunt, ille quidem cap. 34. hic Thren. 4. etiam mammam nudasse testatur. Sed sciendum est, Prophetas illos loco citato adumbrate loqui, et huiusmodi monstra nominare, non quod ulla unquam fuerint; sed vulgo loquentes hisce confictis nominibus vel ipsos daemones monstrosorum criminum suggestores, vel eorundem patratores impios homines significare.

v. 734. *Exsecta vivae viscera.* Quod solenne est in Magicis: Unde Prop. lib. 3. in re simili: *Illum turgentis ranae*

Discreta ponit. His rapax vis ignium,
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. Sonuit ecce vesano gradu,
Canitque. Mundus vocibus primis tremit.

---

portenta rubetae Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt Et strigis inventae per busta iacentia plumae.

v. 736. *Pigri frigoris.* Pigrum vocat frigus, quia reddit pigros, inertes, ignavos et torpentes. Nam frigus vehemens ἀπελαύνει καὶ ἀπολύει τὸ ἔμφυτον θερμὸν εἰς τὸ βάθος τοῦ σώματος, ut inquit Xenophon. ἀναβάσ. lib. 7. Itaque interius in penitissimis partibus corporis incluso calore fit, ut extremitates veluti manus ac pedes pigrae et languidae reddantur. Alia quoque frigoris incommoda Corn. Celsus lib. 1. medicinae cap. 2. refert: Et Contarenus lib. 3. de elem. Frigus, inquit, congregat tam homogenea, quam heterogenea, constipatque omnia, et unumquodque reddit sua natura immobile ac veluti mortuum. Etenim sicut motus indicium est vitae, ita immobilitas mortis et interitus. Ideo calor collatus frigori rationem habet naturae et vitae; frigus vero interitus. Inde fit, ut frigidus pro noxio ponatur, ut accipit Servius illud Virgilii: *Frigidus in pratis* etc.

MEDEA.

Invocatis manibus, et rite conceptis incantationibus, Medea veneficiis illitam pallam cum monili, aureoque crinali, dono mittit ad Creusam per filios suos.

Comprecor vulgus silentum, vosque ferales Deos,
Et Chaos caecum, atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squallidae Mortis specus,
Suppliciis animae remissis currite ad thalamos novos.
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.

---

v. 740. *Vos precor.* Medea h. l. furibunda fertur, et dithyrambico more vario carminis genere abutitur.

v. 742. *Tartari ripis*, specus mortis circumdatos, et quodammodo inclusos ripis Tartari, h. e. inferorum fluminum. Sic Virg. de umbris Georg. 4. *Quos circum limus niger et deformis arundo Cocyti, tardaque palus innabilis unda Alligat et novies Styx interfusa coercet.*

v. 745. *Pirenidas.* Est autem Πειρήνη fons Corinthius ad radices fluens Acrocorinthi, teste Strabone lib. 8. cuius aquas levissimas esse scribit Athenaeus lib. 2. cap. 2. Vulgatum de eo fabulis tradit Pausan. in Corinth. Pirenen Nympham propter obitum filii sui Cenchriae, tantam lacrymarum copiam profudisse, ut in fontem sit conversa. *Pallidam* vocat Persius initio operis. De eadem videndus Plin. lib. 4. N. H. cap. 4. *Prima eius syllaba semper producitur, in eoque differt a Pyrene monte, cuius prima anceps. Longe enim aliud est Pirene per i a Pyrene per y. Est enim Pyrene mons Pyrenaeus, qui duplex est, alter Hispaniae, notissimus, alter Tyrolensis, Brennerus hodie dictus, non aeque notus.* De quo Plinius Nepos in Pane-

Gravior poena sedeat coniugis socero mei:
Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.

---

gyr. Germaniam cum plurimae gentes, ac prope infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyrenaeus, Alpes, immensique alii montes, nisi his comparentur, muniunt. Planudes in Epigram. eum cum Alpibus coniungit. Diodor. Sic. tradit eum Celtas a Gallis dirimere. Hic Pyrenaeus fortassis Aristotelem in errorem induxit, qui lib. 1. Meteor. c. 13. scribit: versus Occidentem ex Pyrenaeo monte Danubium et Tartessum fluere, quod perspicue falsum, cum eorum fluviorum origines tam diversae, et tot locorum intervallis dissitae sint, Tartessus etiam ex Tyrolensi Pyrenaeo, Danubius ex Hispaniensi nullo modo fluere queat. Ad sententiam versus huius quod attinet, ea haec est: Cum optasset Medea noxiorum Manes omnes, poenis intermissis ad hos thalamos convolare, sc. mali ominis gratia, ipsum quoque Tantalum desiderat Corinthum venire, ubi haec geruntur, et ibi longam sitim limpidis aquis Pirenes secure explere.

v. 746. *Poena sedeat.* Creontem maneat poena longe gravior Tantali supplicio.

v. 747. *Lubricus.* Odio Creontis a ceterorum numero Sisyphum excipit, cui poenae continuationem imprecatur, ipsi etiam Creonti graviora. Sisyphus quod supplicium cogatur sustinere apud inferos, notius est, quam ut pluribus explicare necesse sit. Illud h. l. notandum, quod Lucretius hoc supplicium accommodat ambitiose hominibus, ita scribens: *Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est: Qui petere a populo fasces saevasque secures Imbibit, et semper victus, tristisque recedit. Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam, Atque in eo durum semper sufferre laborem, Hoc est adverso nixantem trudere monte Saxum.* Huius, ut hominis vafri, versi-

Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; vestras hic dies quaerit manus.
Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis vinculo solvens comam,

---

pellis, infidi, meminerunt Homerus Iliad. 6. Sophocl. in Philoct. Pind. Olymp. od. 13. Theog. in fine et Hygin. Fabular. c. 201. Eius supplicium facetissime in aleatores derivat in ludo de morte Claudii Seneca.

v. 749. *Danaides.* Danaus Aegypti frater, Argivorum rex, Sthenelo rege expulso, Argos tenuit, ibique 50 annos regnavit. Ab eo postea Achaia dicta est Danaa, et ipsi Graeci Danai. Genuit 50 filias, quae ab avi nomine Belides, a patris autem nomine Danaides dictae sunt. Hae una nocte viros suos, Aegypti filios, interfecerunt, praeter unam Hypermnestram, quae Lynceum maritum servavit. Ob quam impietatem tali supplicio apud inferos plectuntur, ut assidue dolium pertusum aqua cogantur implere, e quo tantundem effluat, quantum infundatur. Unde natum proverb. *Dolium Danaidum*, in avaros, quibus nihil est satis, aut in prodigos.

v. 750. *Noctium* dea eadem est quae Proserpina, Hecate et Luna. Unde et a Poetis νυχία; cuius nominis rationem Apollonii Scholiastes lib. 3. reddit, quod noctu illi litabatur vel quod in spatiis inferorum late imperabat, quem locum veteres νύκτα vocabant: verba eius sunt: *Νυχίαν δὲ εἶπεν, ἤτοι διὰ τὸ χθονίων βασιλεύειν (νύκτα γὰρ τὸν ἀφώτιστον τόπον φασίν) ἢ ἣν νυκτὸς οὔσης ἐξιλάσκονται. Εὔλογον γὰρ τὴν τῶν νυχίων τόπων κρατοῦσαν κατὰ τὴν τῆς νυκτὸς ὥραν ἱλάσκεσθαι.*

v. 752. *Tibi more gentis.* Hoc ideo dicit, quia solebant magae nudis pedibus, et passo capillo sacra sua peragere:

Secreta nudo nemora lustravi pede,
Et evocavi nubibus siccis aquas;

---

unde apud Virgil. Aen. 4. magicis sacris operatura unum exuta pedem inducitur: apud Valerium Flacc. vates idem facturis, *vincula solvere monstrat Prima pedum.* Horat. scribit se vidisse *Canidiam pedibus nudis passoque capillo.* Ovid. Metam. 7. *Egreditur tectis vestes induta recinctas Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.*

v. 754. *Evocavi*, vi carminis elicui. Hoc enim ut plurimum significat verbum evocandi, *Δύναμιν* et imperium quoddam. Ideo tribuitur vel Diis, ut apud Virg. Aen. 4. *Manes evocat Orco*, vel magis, ut hic, vel dominis, ut frequenter in Comoed. vel Magistratibus et Imperatoribus. Unde et Evocati milites. Porro de magiae vi notandi sunt versus Empedoclis apud Laërtium lib. 8. qui ita habent: *Παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν Ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἄρουραν Καὶ πάλιν, ἤν κ' ἐθέλῃσθα παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις, Θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν Ἀνθρώποις· θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου Ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσαντα· Ἄξεις δ' ἐξ Ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.* Hos versus ita lat. reddiderunt: *Compescesque truces ventorum rite procellas Exorti insanis qui vastant flatibus agros. Rursum si libeat, mox flamina pigra ciebis: Et media educes e tempestate serenum: Induces media pluvias aestate salubres; Et flatus sicca qui perflent omnia messe Exstinctumque hominem nigro revocabis ab Orco.* De superstitione hac magica multa passim tradita reperiuntur apud scriptores, Senecam hunc nostrum in Herc. Oet. Virgil. Ecl. 8. et Aen. 4. Tibull. lib. 1. Eleg. 2. et 8. Ovid. epist. 6. Claud. lib. 1. in Rufin. Petron. it. et Lucanum. Senec. nat. quaest. lib. 4. Apul. in Apol. Columel. in lib. de cura hort. Plin. lib. 10.

gique ad imum maria, et Oceanus graves
nterius undas aestibus victis dedit.

---

cap. 2. et lib. 30. c. 10. D. Augustin. in lib. de doct. Christ. et lib. de nat. daem. apud quos mirae artis istius (si tamen ars dicenda) effectiones traditae reperiuntur. Hoc loco opportunum videtur excutère quaestionem illam, de qua varie disceptari solet: an effectiones magicae sint verae an vero falsae. Videri duntaxat veras, non esse, placuit Platoni lib. 11. de Leg. Porphyrio lib. 2. de abstinent. animal. Plinio lib. 12. cap. 1. et D. Iustino Martyri in quaestion. proponi solitis Christianis. Ceterum non tantum videri, sed esse multas artes magicas, multo verius visum non Iamblicho tantum, et aliis profanis, sed et D. Augustino lib. 3. de Trin. et lib. 33. quaest. 79 D. Thom. D. Bonavent. et aliis Theologis. Cum autem Magiae nomen hic usurpamus, illud quoque tenendum est, nos non agere h. l. de Magia in genere, neque de Magia artificiali, nec de naturali; sed de illa tantum, quae diabolica nuncupatur, et quam agnoscit quidem scriptura, sed damnat Levit. 20. Deut. 18. 1. Reg. 28. Act. 16. Patres eandem damnant, ut S. Augustinus libro 21. de civ. D. c. 8. et fuse S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 104. In hac diabolica Magia quae fiunt, ea certum est non a Magis, sed ab ipso daemone fieri. Ex quo efficitur, omnes illos effectus veros esse posse, qui daemonum potestatem et vires non excedunt. Difficillimum vero est homini scire, quanta sit naturalis potestas eius, ut ait D. Augustin. lib. 3. de Trin. cap. 9. Quaecunque tamen operatur huiusmodi, ea vel per motum localem (nam maxima corpora de loco in locum et brevissimo tempore transferre potest) vel operatur actione causarum naturalium, applicando activa passivis, vel denique sensibus nostris illudendo, ut indicat Augustin. lib. 3. de divinat. daemon. cap. 3.

Pariterque mundus lege confusa aetheris
Et solem et astra vidit, et vetitum mare
Tetigistis Ursae. Temporum flexi vices.
Aestiva tellus floruit cantu meo,
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;
Et Ister, in tot ora divisus, truces

---

et lib. 3. de Trinit. cap. 8. His ille modis mira operatur per Magos. Aliquando enim impedit actiones rerum naturalium licet indirecte, vel impedimento contrariae causae, vel impulsione aut motu nimio, ut pleraque, quae hic Seneca memorat: aliquando imprimit miras qualitates in res corporeas, licet non permanentes, idque per naturales causas, quas applicat, nocet bestiis et rebus externis. Iobi c. 1. excitat tempestates, facit ignem descendere de caelo. Cf. Apoc. 13. et eam ob causam dicitur Princeps aëris Ephes. 2. et 6. Nam haec possunt solo motu locali ab eo effici. Cursum enim astrorum vel orbium coelestium mutare non potest, nec Solem vel Lunam deducere, ut docet Aug. nec potest integrum elementum movere loco, quia nihil potest contra ordinem universi constitutum a Deo, ut dicit D. Thom. quaest. 16. de Malo. Unde apparet hac in re Senecae et reliquorum Gentilium error.

v. 758. *Et solem et astra vidit.* Simul nempe uno eodemque tempore, cum alioqui lucente sole astra non appareant.

Ib. *Vetitum mare* vocat perinde ut Ovidius Metam. 2. *Et vetito rursum tentarunt aequore tingui.* Claud. 2. de raptu; *vetito se proluit Arctos Aequore.* Fabula videnda est apud Hygin. lib. 2. et 3. Astron.

v. 763. *Ister in tot ora.* Discrepant auctores in descriptio-

Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare
Tacente vento. Nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meae.
Die relicto Phoebus in medio stetit,
Hyadesque nostris cantibus motae labant.
Adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis.
Tibi haec cruenta serta texuntur manu,
Novena quae serpens ligat:

---

ne Istri, cum alii illi quinque ostia, alii plura, qui plurimum, septem ostia tribuant, ut Ovid. 2. Trist. et Val. Flac. lib. 8. Dionys. Afer vero et Claudian. de bello Gethico quinque tantum. vid. Seneca Thyeste v. 376.

v. 765. *Tumuit ins. m. Tac. v.* Pro *tumuit* et *Tacente* sunt, qui ita legi aptius existiment: vel *tumuit Iacente vento*, vel *sonuit* aut *tonuit*, *Tacente vento.* Porro Medeam cuncta, quae hic iactitat, facere potuisse, testantur Apoll. in Argon. et Ovid. Metam. 14.

v. 766. *Nemoris antiqui*, sc. lapsis frondibus, vel potius alio translato nemore, et sic nudata domo. Ita de Medea Ovid.: *Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit, Illa loco silvas vivaque saxa movet.* Et de eadem: *Convulsaque robora terra Et silvas moveo.*

v. 771. *Cruenta serta* non amoenis floribus sed venenatis ex herbis.

v. 772. *Novena.* Nomina numeralia sunt vel cardinalia: ut unus, duo ect. vel distributiva: ut singuli, bini, ect. *Dedi pueris dena poma* vid. Valla lib. 3. cap. 5. vid. Arithm. Glareani pag. 8. 9.

Ib. *Novena.* Novena dicit, quia novenarius sacer est numerus iuxta Pythagoreos, cui vis aliqua tribuitur, quum ex 3. ternariis constet.

Tibi haec, Typhoeus membra quae discors tulit,

---

v. 773. *Tibi haec Typhoeus.* Typhoeus unus e Gigantibus, Terrae et Titani filius, quem illa Iovi irata in perniciem coelestium fertur edidisse. Hic cum in ingentem corporis molem adolevisset, eo vecordiae provectus est, ut Iovem de coeli possessione deiicere conaretur. Quapropter fulmine ab eodem ictus est, et sub Inarimen insulam detrusus, ut placet Homero in Catalogo. De eo Virgil. Aen. 1. ita: *Tum sonitu Prochyta alta tremit, dirumque cubile Inarime, Iovis imperiis imposta Typhoeo.* Lucanus lib. 4. *Conditur Inarimes aeterna mole Typhoeus.* Ovidius in lib. 5. Metamorph. et Strabo lib. 13. Pindarum secuti, in Sicilia sub Aetna monte sepultum volunt. Numeratur inter venenata propter anguineos pedes, et ex eius sanguine venenata animalia nata quidam credunt. Huius formam describunt Hesiodus in Theog. et Apollod. lib. 1. Biblioth. et eius cum Iove conflictum et superum trepidationem narrant, propter quam noster paulo post addit, *qui regna concussit Iovis.* Typhonis in Cilicia cubile ostenditur, specus ingens, ore angusto, in quem demissa confestim exanimantur. De quo vid. Mela lib. 1. cap. 13. Solinus Polyhistor. cap. 47.

Ib. *Discors* dicitur, quia Typhoeus, quemadmodum ceteri Gigantes superiore parte hominem, inferiore angues referebat; item, quia, ut ait Hesiodus de geneal. Deor.: *Ἐκ δέ οἱ ὤμων ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ ὄφιος δεινοῖο δράκοντος Γλώσσῃσι δνοφερῇσι λελειχμότες, linguis nigris lambentes.* Quibus ille varios edebat sonos, interdum loquebatur, interdum mugiebat, alias rugiebat, aliquando latrabat, nonnunquam stridebat. De hisce Gigantibus Iovi et ceteris diis bellum inferentibus, ita Ovidius Fast. 5. *Terra feros partus, immania monstra Gigantes Edidit ausuros in Iovis ire domum Mille manus illis dedit, et pro*

Qui regna concussit Iovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.

---

cruribus angues. Sic intelliguntur pleraque in Claudiani Gigantomachia posita. De his ita Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 20. *Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, deos negantem, et ideo existimatam deos pellere de coelesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant: quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitae eorum gressu atque processu in inferna mergente.*

v. 774. *Regna concussit Iovis.* Omnes enim coelicolae varias illius metu formas induerunt, quod docet Ovid. Metam. 5. ita canens: *Emissumque ima de sede Typhoëa terrae Coelicolis fecisse metum, cunctosque dedisse Terga fugae! donec fessos Aegyptia tellus Ceperit, et septem discretus in ostia Nilus. Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa narrant, Et se mentitis superos celasse figuris.*

v. 775. *Vectoris.* Vector ille Deianirae, et victus ab Hercule.

v. 776. *Nessus* fuit unus ex Centauris, Ixionis et Nubis filius, qui cum Herculi ad Evenum flumen operam suam obtulisset ad Deianiram in ulteriorem ripam traiiciendam, iamque traiectae vim inferre pararet, ab Hercule sagittis est confossus: cuius corpus suo ipsius faetore totam foedavit et infestavit regionem, quae ob id ὄζολις, quasi putida, nomen habuit, incolae vero *Ozolae* dicti. Hic cum mortem sibi imminere videret, Deianirae vestem tradidit sanguine suo infectam, vim amatoriam illi inesse simulans, virumque alterius faeminae amore captum ad ipsius amorem posse revocari. Cuius verbis illa temere fidem adhibens, Herculi in Oeta monte sacrificanti per

Oetaeus isto cinere defecit rogus,
 Qui virus Herculeum bibit.
Piae sororis, impiae matris facem,
 Ultricis Althaeae vides.
Reliquit istas invio plumas specu

Licham puerum vestem eam misit, quam cum ille induisset, veneno statim per viscera serpente, coloris impatientia in ardentem sese rogum coniecit. Vid. Strabo lib. 1.

v. 779. *Piae sororis, impiae matris.* Ovid. 8. Metam. hanc fabulam describens, eleganter ista duo coniunxit: *Incipit esse tamen melior germana parente, Et consanguineas ut sanguine leniat umbras, Impietate pia est.*

v. 780. *Ultricis Althaeae.* Althaea Thestii filia, Oenei Calydoniae regis uxor, cui inter alios filios Meleagrum peperit: quo nato audivit, fata circum ignem dicentia, tam diu natum victurum, quam diu stipes, qui tunc ardebat, ab igni inconsumptus maneret. Hunc igitur stipitem asservavit in eum diem, quo omnes filios praeter Meleagrum in quadam seditione occubuisse intellexit, quem ut etiam mortuum audiret, stipite concremato obtinuit, nimiaque ob hanc rem concepta laetitia etiam ipsa periit. Alii tradunt eam, quod aegre ferret, fratres suos a Meleagro filio interfectos, stipitem fatalem (ut fusius refert Ovid. 8. Metam.) conditum a Parcis, in quo vita Meleagri continebatur, flamma perussisse, quo consumpto Meleager exstinctus est: Unde Ovidius lib. 1. Tristium: *Utque cremasse suum fertur sub stipite natum Thestias, et melior matre fuisse soror.* Apud Homerum Meleager Althaeae imprecationibus confixus moritur. Minyadis et Eoearum auctores (sive ille Hesiodus, sive Rhianus sive alius quispiam) ab Apolline in bello contra Curetes interfectum tradunt. Eius vero opinionis, quam noster, Ovidius et

Harpyia, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciae Stymphalidos,

---

plerique tenuerunt, auctor fuit Phrynichus ἐν δράματι Πλευρῶνι, teste Pausania. Quidam stipitem fatalem fuisse aiunt e rogo raptum, cuius interitus secum Meleagri necem trahebat: alii fuisse non e rogo raptum stipitem, sed oleastri ramum scribunt.

v. 782. *Harpyia.* Harpyiae Ponti et Terrae filiae, unde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes, dictae ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, a rapiendo, volatiles, vultu virgineo, manibus uncis. Alii dicunt, eas fuisse Neptuni filias, qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Thaletem Milesium, omnia ex humore procreantur: unde est: Oceanumque patrem rerum. Alii autem dicunt Harpyias filias Thaumantis et Electrae. Has virgines tres esse dicit, Aëllo, Ocypeten, Celaeno, quarum postremam Homerus Podargen vocat, et ex ea Zephyrum ventum, Achillis equos, Balium videlicet et Xanthum genuisse dicit. Hesiodus tantum duas nominat, Aëllo videlicet et Ocypeten. Videndus de hisce Orpheus in Argon. Apollon. lib. 2. Argon. Hesiodus in Theog. Apollodorus lib. 1. Biblioth. Eustathius in Odyss. M. et Isaacius in Lycophr.

Ib. *Dum Zethum fugit.* Expulsa sc. e Phinei regia. Qui autem h. l. Zethus alias Zetes vocatur, filius Boreae et Orithyiae, et frater Calais. Hi duo fratres ex Argonautarum numero extiterunt, et quoniam alati fuerunt, ad pellendas Harpyias missi sunt, quas usque ad Strophades insulas sunt insecuti, ut est auctor Apollonius in Argonauticis.

v. 783. *Stymphalidos.* Stymphalides dictae volucres a Stymphalo Arcadiae lacu, prope quem nidificabant, vel a Stymphalo quodam heroë, quibus alae, rostra, ungues

Lernaea passae spicula.
Sonuistis, arae tripodas agnosco meos,
Favente commotos Dea.
Video Triviae currus agiles,

---

ferrei; immanes et humanis carnibus insaturabiles. Feruntur autem fuisse tantae magnitudinis, ut solis radios obumbrarent, omnemque Arcadiam devastarent, donec ab Hercule aenei crepitaculi sonitu pellerentur. De iis videndus Pausan. in Arcad. Apollon. lib. 2. Hygin. lib. Fabular. cap. 20. et 31. Seneca in Herc. Fur.

v. 784. *Lernaea passae spicula.* Lerne sive Lerna lacus est in agro Argivo, Herculis labore notissimus, qui in eo hydram Lernaeam fertur interemisse, vicinae omni regioni adeo infestam, ut locum fecerit proverbio *Λέρνη κακῶν.* Est et fluvius eiusdem nominis per Prasias in sinum Argolicum illabens. De quo Strabo lib. 8.

v. 785. *Sonuistis arae.* Tum nimirum, cum latrarunt canes Hecates.

Ib. *Arae.* Confectae ex sanguineo cespite, de quibus paulo post.

Ib. *Tripodes agnosco,* oraculum meum, certius mihi et sacratius Delphico tripode. De quo consulendus Caelius lib. 8. cap. 15.

v. 787. *Triviae.* Hecates, seu Dianae, seu Proserpinae; quae triviis praeerat, et triplici facie pingebatur. Unde illud Ovidii. *Ora vides Hecates in tres vergentia formas, Servet ut in ternas compita secta vias. Tergemina* Virgilio, *triformis* Horatio et aliis. Latius exponit Eusebius lib. 3. de praeparat. Evang. cap. 3. tradens Lunam dici Hecaten propter varias corporis eius formas, quas a distantia solis sumere videtur. Triformem quoque eius esse virtutem: novilunii virtutem candidis et aureis vestibus, et ardenti face significare: calathum vero cum iam media sit, de-

Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; sed quos facie
Lurida moesta, cum Thessalicis
Vexata minis, coelum freno
Propiore legit. Sic face tristem

---

signare, quoniam crescente lumine fruges maturat: plenilunii virtutem ferrugineo colore denotare. Huc pertinet illud vetus quidem, sed incerti autoris: *Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana Ima, superna, feras; sceptro, fulgore, sagitta.* Prudentii quoque libro contra Symmachum hi sunt versus: *Et regnare simul coeloque Ereboque putatur, Nunc biiuges frenare boves, nunc saeva sororum Agmina vipereo superis immittere flagro: Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas Spargere; terque suas eadem variare figuras. Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu; Cum subcincta iacit calamos, Latonia virgo est; Cum subnixa sedet solio, Plutonia coniux; Si verum quaeris, Triviae sub nomine daemon.*

v. 790. *Cum Thessalicis v. m.* Antiqui credebant lunam coelo carminibus magicis deduci Thessalarum potissimum, quarum cantus efficacior putabatur, cuius rei passim apud Graecos Latinosque testimonia occurrunt, quem errorem egregie refellit vetus Poëta, quisquis ille est, his versibus: *Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris Infernas ululans mulier praedira sub umbras Detrahit altivago e speculo, nec carmine victa, vel rore stygias vincibilemque petit clamorem, quippe per aethram Qua citimus limes dispescit turbida puris Inviolata meat: sed vasto corpore tellus Quae medium tenet ima polum, dum lumina fratris Detinet umbriferis metis, tam sidere casso Pallescit teres umbra rotae: dum transeat axem Aggerei velox tumuli, speculoque rosanti Fraternas reparet per coelum libera flammas.*

v. 792. *Propiore.* Prae metu arctius stricto, et ad se pro-

Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent aera Corinthi.
Tibi sanguineo caespite sacrum

---

pius adducto: vel propiore nobis, quia coelo deducitur.

v. 795. *Dictynna.* Cretensibus quidem Dictynna dicitur Dianae socia Britomartis, quae castitatis tuendae causa se in mare praecipitavit, teste Pausan. in Corinth. seu lib. 2. Obtinuit tamen, ut hoc nomine Diana intelligatur, cui id tribuunt Graeci Latinique: et in Laconia fuit aedes Dianae Dictynnae, teste Pausania in Laconicis seu lib. 3. Dicta autem fuit Dictynna, quod retibus delectetur. Rete enim graec. *δίκτυον.*

v. 796. *Preciosa sonent aera Corinhi.* Aera Corinthi h. e. pelves ex aere Corinthio confectae. Nominat autem hoc aes, vel quia sonus eius acutior, vel quia Corinthi haec agebantur. Preciosa vocat aera, quia aeri Corinthio nonnihil auri admistum erat, de quo videndus Muretus lib. 3. variar. lect. c. 5. Addit autem *sonent* eam ob causam, ne Luna carmen magicum exaudiens coelo detrahatur.

v. 797. *Sanguineo cespite*, egesto ex fovea cavata perfusa hostiae sanguine, sc. agnae nigrae. Apollonius lib. 3. de hoc ritu et sequentibus nonnulla tradidit his versibus: *Δὴ τότε μέσσην νύκτα διαμμοιρηδὰ φυλάξας Ἀκαμάτοιο ῥοῆσι λοεσσάμενος ποταμοῖο Οἶος ἄνευθ᾽ ἄλλων ἐνὶ φάρεσι κυανέοισι Βόθρον ὀρύξασθαι περιηγέα, τῷ δ᾽ ἐνὶ θῆλυν Ἀρνειὸν σφάζειν καὶ ἀδαίετον ὠμοθετῆσαι Αὐτῷ πυρκαϊὴν εὖ νηήσας ἐπὶ βόθρῳ· Μουνογενῆ δ᾽ Ἑκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο Λείβων ἐκ δέπαος τεμβλήϊα ἔργα μελισσῶν. Ἔνθα δ᾽ ἔπειτα θεὰν μεμνημένος ἱλάσσηαι Ἄψ*

Solemne damus. Tibi de medio
Rapta sepulcro fax nocturnos
Sustulit ignes. Tibi mota caput
Flexa voces cervice dedi.
Tibi funereo de more iacens
Passos cingit vitta capillos.
Tibi iactatur tristis Stygia
Ramus ab unda. Tibi nudato
Pectore Maenas sacro feriam
Brachia cultro.

ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο, μηδέ σε δοῦπος Ἠὲ ποδῶν ὄρσησι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω, Ἠὲ κυνῶν ὑλακὴ, μή πως τὰ ἕκαστα κολούσῃς. Latine ita reddiderunt hos versus: *Observa, medium nox fecit ut humida cursum, Fluminis ipse petas undas, ubi lotus, et unus Cyanea veste indutus, fodere ipse memento Mox foveam; iugulata tibi sit protinus agna Femina, ibique super fovea pyra structa crematur. Atque voces Hecaten Perseida, mellaque libans Dulcia munera apum, places hanc, sacrisque peractis Rursus abire pyra moneo; convertere nullus Te retro strepitusve pedum, fremitusve caninus Cogat; nam sacer fiet labor irritus omnis.*

v. 798 sq. *Tibi medio rapta sepulcro.* Olim sepulcris, bustis vel rogis eruta ad maleficia deligebantur. Unde Horat. Oda 5, 17. lib. Epod. *Iubet sepulcris caprificos erutas, iubet cupressus funebres.* Lucanus autem hoc ad nauseam usque plus 40 versibus persequitur lib. 6.

v. 805. *Ramus.* Qualem somno tribuit Virgil.: *Ecce Deus ramum Lethaeo rore madentem Vique soporatum stygia* etc. Arbores enim ad Stygem natae veneficiis aptae habebantur.

v. 806 sq. *Sacro feriam brachia cultro.* Hoc quoque in magicis sacris fiebat, cuius rei exemplum habemus in sacer-

Manet noster sanguis ad aras,
Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.
Sacrum laticem percussa dedi.
Quod si nimium saepe vocari
Quereris, votis ignosce, precor.
Causa vocandi, Persei, tuos
Saepius arcus una atque eadem
Semper, Iason. Tu nunc vestes
Tingue Creusae, quas cum primum
Sumserit, imas urat serpens
Flamma medullas. Ignis fulvo
Clusus in auro latet obscurus;
Quem mihi, coeli qui furta luit

---

dotibus Baal lib. 3. Reg. 18. Item, in sacris Cybeles et Bellonae. De quo ritu vidend. et Tibull. 1. 6.

v. 812. *Quod si nimium.* Invocabant Hecaten Magae, sed quia sciebant iracundam et terribilem, et ad malum pronam, id non faciebant sine praefatione: ab iracundia enim Brimo dicta, et a saevis terriculamentis, quae in adventu eius cernebantur, et a fremitu, qui tum terribilis audiebatur.

v. 814. *Persei.* Hecate fuit Persei Regis filia, teste Dionys. Milesio, vel Aristaei iuxta Pherecydem filia, vel Iovis et Asteriae iuxta Musaeum. Bacchylides noctem dat illi matrem. In Orphicis dicitur Cerere nata. Hanc Dionys. Milesius in Argonaut. scribit occiso patre Perseo, Aeetae patruo nupsisse, eique peperisse Medeam et Circen: fuisse virilis animi mulierem, venatibus et medicinae veneficiisque deditam. Perseida vocat Apollonius lib. 3. et Ovid. Metamorph. 7.

Viscere foeto, dedit, et docuit
Condere vires arte Prometheus.
Dedit et tenui sulfure tectos
Mulciber ignes; et vivacis
Fulgura flammae de cognato
Phaethonte tuli. Habeo mediae
Dona Chimaerae.

---

v. 823. *Prometheus.* Alludit ad vulgatam traditionem Hesiodi, Horatii et aliorum, qua narratur, Prometheum subduxisse furto ignem coelestem, atque mortales ignis usum docuisse. Plato de hac re late agens in Protagora inter cetera ita scribit: *Ἀπορίᾳ οὖν ἐχόμενος ὁ Προμηθεὺς ἥντινα σωτηρίαν τῷ ἀνθρώπῳ εὕροι, κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί. Ἀμήχανον γὰρ ἄνευ πυρὸς αὐτὴν κτητήν τῳ ἢ χρησίμην γενέσθαι. Καὶ οὕτω δὴ δωρεῖται ἀνθρώπῳ. Τὴν μὲν οὖν περὶ τὸν βίον σοφίαν ἄνθρωπος ταύτῃ ἔσχε.*

v. 825. *Mulciber ignes et vivacis.* Vulcani ignes insopibiles esse putabant. Unde est illud Martiani Capellae lib. 1. *Lemnius faber insopibilis illi perennitatis igniculos accendit.*

v. 826 sq. *Cognato Phaethonte.* Cognatus Phaëthon dicitur; nam ille Solis filius, Medea Solis neptis fuit.

v. 827 sq. *Mediae dona Chimaerae.* Mediam dicit Chimaeram, quia autoribus Hesiodo et Homero capite leo, ad caudam draco, medio corpore Chimaera horrendam efflabat vim ignis ardentis. Ideo flammivomam vocat Epinicus in supposítit. apud Athenaeum lib. 11. et apud eundem lib. 13. dicitur Chimaera scortum significare; eodem sensu Pierius lib. 1. 10. et 14. Hieroglyph. ad lasciviam retulit, quia (ut tradit Fulgent. lib. 3. Mythol.) lascivia amoris invadit saltu leonino, procacitatem deinde igneam inducit, ultimo venenum et poenitentiam infundit. He-

Habeo flammas usto tauri
Gutture raptas; quas permixto
Felle Medusae, tacitum iussi

---

siodi interpretes et D. Nazianzenus orat. 1. in Iulian. accommodant tribus partibus Rhetorices: per leonem docent denotari iudicialem, ob terrorem, qui reis incutitur: per capram, demonstrativum, quod in eo dictio plurimum lasciviat: per draconem deliberativum propter argumentorum varietatem, longioresque circumductus, et quasi spiras, quibus opus in persuadendo. Reipsa Chimaera fuit mons Lyciae ignivomus teste Pomponio lib. 1. cap. 15, cuius aquis flammas accendi tradit Plinius lib. 2. In eius cacumine leones, in medio caprae, in imo serpentes degebant. Ex eo nata fabula, de qua consulendus Hesiodus in Theog. Homerus et Eustath. Iliad. ζ. Pindarus Olymp. Ode 3. Apollodor. lib. 2. Biblioth. Strabo lib. 15. Plutarch. in Parall. Hyginus, Palaephatus et Albricus.

v. 829 sq. *Usto Tauri gutture*, Tauri flammivomi, quem Hercules occidit, vel potius, quos Iason domuit. Unde eos ipsos tauros hic ipse noster Seneca alibi vocat: flammeum Aeetae pecus.

v. 831. *Medusae.* Medusa fuit una Gorgonum, quarum tres numerantur, quae fuerunt Phorci filiae. Nomina haec recensentur: Medusa, Stheno, Euryale. Eae habebant unicum oculum, quo per vices utebantur, humeros alis, caput anguibus pro coma ornatum, dentes instar apri quadriennis, ungues aereos. Perseus surrepto uno illo Gorgonum oculo Medusae caput amputavit, cuius e cruore statim nati Chrysaor et Pegasus, et in Africa varium genus serpentium. Illud caput quicunque intuebantur, saxei fiebant. De quo videndus est Hesiodus in Theog. Ovid. in Metamorph. Apollodor. lib. 2. Biblioth. Hygin. in fab. Bassus in Germanic. Apollonius et eiusdem

Servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,
Donisque meis semina flammae
Condita serva. Fallant visus,
Tactusque ferant. Meet in pectus
Venasque calor. Stillent artus,
Ossaque fument; vincatque suas
Flagrante coma nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, et sacros
Edidit ignes face luctifera.

Scholiastes sub fine lib. 4. Mythologias suggerunt Pisidas lib. de vitae vanitate. Isaac. in Lycophr. Fulgent. lib. 1. et 3. Pierius lib. 16. Hieroglyph. Ad historiam reducunt Diodor. lib. 3. Athenaeus lib. 5. cap. ult. Pausan. lib. 2. et Albricus lib. de imaginibus Gorgonidum insular. meminit Plin. l. 6. c. 31.

v. 834. *Semina flammae.* Ita Virgil. Aen. 6. *Quaerit pars semina flammae.* Lucret. lib. 1. *Semina ardoris.* Pindarus σπέρμα φλογός.

v. 840. *Latratus.* Latratus Hecatae tribuit, quia latrabant canes Hecatae comites: unde Theocrit. Idyll. 2. *Κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται· Ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι: canes nobis per urbem latrant, Dea adest in triviis.* Virgil. Aen. 6. *Visaeque canes ululare per urbem Adventante Dea.* Horat. lib. 1. Sat. 8. *Serpentes atque videres Nocturnasque errare canes.* De his videndi Lilius Syntagm. 12. Turneb. lib. 13. Advers. c. 12. et lib. 16. c. 4. De Hecate, quae *audax* h. l. vocatur, vidend. Caelius lib. 20. antiq. lect. et Natalis Mytholog. lib. 3. cap. 15.

v. 841 sq. *Sacros edidit ignes.* Nam adventante Hecate solum tremebat, et taedarum fulgor cernebatur, ut autor

Peracta vis est omnis. Huc natos voca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infaustae genus,
Placate vobis munere et multa prece
Dominam et novercam. Vadite, et celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

CHORUS.

Furorem Medeae Chorus timet, malitiam eius exsecratus.

Quonam cruenta Maenas
Praeceps amore saevo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, et caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur ultro.
Quis credat exsulantem?
Flagrant genae rubentes,
Pallor fugat ruborem.

---

est Scholiast. Apollonii et Turnebus lib. 15. Adversar. cap. 8.

v. 852. *Impotenti furore.* Vox impotentiae dupliciter etc. Vid. Not. Sueton. p. 407.

v. 858. *Genae.* Pro parte, qua viris barba primum nascitur. Ita Pacuvius: *Nunc primum opacat flore lanugo genas.*

Nullum vagante forma
Servat diu colorem.
Huc fert pedes et illuc,
Ut tigris orba natis
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorque causam
Iunxere. Quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis arvis

---

v. 863. *Tigris.* De tigridis amore in catulos, et arte, qua capitur, de furore eiusdem relictae in littore, de speculo, quo retardatur, item de spontanea eius morte multa litteris tradita reperiuntur praeter Claudianum apud Plin. lib. 8. cap. 10. Solin. Polyhist. cap. 21. D. Ambrosius lib. 4. Hexam. et Eucherius 80 refert illud Iobi, iuxta Hebraeorum contextum. Tigris periit eo, quod praedam non fuerit assecuta. Fusissime omnium de hac re agit Wolltonus lib. 5. de different. animal. cap. 81.

v. 866. *Frenare.* Non comparat Medeam chorus tigridi, quod iras et amores nequeat frenare, sed quod furore caeca huc et illuc pedes ferebat, nullo in loco valens consistere, quam irae vehementiam postquam graphice descripsit, subiungit ἐπιφωνηματικῶς: *Frenare nescit* etc.

v. 871. *Nefanda Colchis.* Colchin vel Colchidem vocat Medeam a patria. Sic eandem vocat Archias lib. 1. Epigramm. Sic Latini poetae cuncti. Corinthiam tamen fuisse Medeam censent Scholiast. Apollonii et Pindarus Olymp. Ode 13. quia Corinthus fuit paterna eius posses-

Gressum, metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc, Phoebe, mitte currus
Nullo morante loro.
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

---

sio, ut docet Eumelus his versibus: *Ἀλλ᾽ ὅτε δ᾽ Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο Ἡελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε ἄνδιχα χώρην Δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός· Ἣν μὲν ἔχ᾽ Ἀσωπὸς, ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ, Ἣν δ᾽ Ἐφύρην, κτεάτεσσ᾽ Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν· Αἰήτης δ᾽ ἄῤ ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν Εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιτ᾽, ἢ ἐξ αὐτοῖό τις ἄλλος Ἢ παῖς ἢ υἱωνὸς, ὅδ᾽ ἵκετο Κολχίδα γαῖαν.* Ait Hyperionis filium Apollinem filiis suis ex Antiopa, Aeetae et Aloëo, haereditatem sic divisisse, ut Aloeus vicinam Asopo regionem, sed Corinthum Aeetes acceperit universam. Aeetae portionem suam displicuisse et Buno retinendam custodiendamque tradidisse, donec quis ex ipso filius neposve olim illam reddi postularet: atque ita Aeetam Colchos profectum ibi imperasse neglecta Corintho. Aliam ab hac rationem reddit Pindari Scholiastes, sed minus verisimilem.

v. 878. *Dux noctis Hesperugo.* Lucifer Phosphorus, Hesperus, Vesperus, Hesperugo, una eademque stella est. Est autem Hesperugo stella Veneris, de qua Plin. lib. 2. cap. 8. Cic. de nat. Deor. Cleomedes lib. 1. Meteor. De eodem est illud Iobi cap. 38. *Numquid producis Luciferum in tempore suo, et vesperum super fines terrae consurgere facis?* Martianus Capella lib. 8. de Nupt. Philolog. scribit: *Veneris stellam aliquando solem transcurrere, aliquando subsequi; aliquando superferri, nonunquam subiacere: nunc*

facere ortum et vocari Luciferum; nunc post occasum solis effulgere, et Vesperum vel Vesperuginem nominari. Diversis ergo, non eodem die, mane solis *ortum praecedit, et vesperi subsequitur.* Cicero quoque in lib. de Univers. testatur Luciferum cursum habere solis celeritati parem et ita fieri, ut modo vincat, modo vincatur. Quando sole tardior est, tunc oritur mane ante ortum solis, eumque praecedit, quando celerior, tunc vesperi subsequitur occidentem. Porro notandum Hesperum vocari etiam Noctiferum et Nocturnum teste Turnebo lib. 24. Adversar. cap. 27. Unde est illud Catulli: *Iamdudum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.* Plaut. in Amphitr.: *Credo Nocturnum obdormivisse ebrium.* Eundem Nocturnum vocat Statius his versibus: *Roscida iam novies coelo demiserat astra Lucifer, et totidem Lunae praevenerat ignes Mutato Nocturnus equo.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Narrat nuntius, Creusam cum patre regiaque tota flagrasse pernicioso Medeae munere. Medea filios suos trucidat et aufugit.

NUNTIUS. CHORUS. NUTRIX. MEDEA. IASON.

NUNT. Periere cuncta. Concidit regni status.
Nata atque genitor cinere permixto iacent.
CHOR. Qua fraude capti? NUNT. Qua solent reges capi;
Donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?
NUNT. Et ipse miror; vixque iam facto malo
Potuisse fieri credo. CHOR. Quis cladis modus?
NUNT. Avidus per omnem regiae partem furit,

---

v. 881. *Qua solent reges capi, donis.* Ideo reges *Δωροφάγους* vocat Hesiodus, quod olim donorum fuerint appetentissimi, ad quos sine munere non licuit accedere. Facile autem avarus donis, luxuriosus formosa muliere, gumia et nepos propositis epulis, denique unusquisque eo, quo capitur, in insidias pertrahi potest.

Ut iussus, ignis: iam domus tota occidit,
Urbi timetur. CHOR. Unda flammas opprimat.
NUNT. Et hoc in ista clade mirandum accidit,
Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis: ipsa praesidia occupat.
NUTR. Effer citatum sede Pelopeia gradum,
Medea. Praeceps quas libet terras pete.
MED. Egon' ut recedam? si profugissem prius,
Ad hoc redirem. Nuptias specto novas.
Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Caelebs Iason. Quaere poenarum genus
Haud usitatum: iamque sic temet para.
Fas omne cedat. Abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt purae manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. Quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. Hoc age. Et faxo, sciant,
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notae,

---

v. 891. *Effer citatum.* Euripides hanc nutricis adhortationem, qua Medeam ad fugam primo quoque tempore capessendam impellit, his verbis adornat: *Ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη, Μήδεια, φεῦγε, φεῦγε, μήτε ναΐαν λιποῦσ' ἀπήνην, μήτ' ὄχον πεδοστιβῆ. O quae dirum nefarie designasti facinus, Medea, fuge, fuge; seu potes navigio, seu volucri per terram navigio.*

Ib. *Sede Pelopeia*, Corintho. Nam et Isthmo Pelops imperavit.

Quae commodavi scelera. Prolusit dolor
Per ista noster. Quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum. Crevit ingenium malis.
Iuvat, iuvat rapuisse fraternum caput.
Artus iuvat secuisse, et arcano patrem
Spoliasse sacro. Iuvat in exitium senis
Armasse natas. Quaere materiam, dolor:
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quae perfido
Intendis hosti tela? nescio quid ferox
Decrevit animus intus, et nondum sibi
Audet fateri. Stulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit. Placuit hoc poenae genus,
Meritoque placuit. Ultimum agnosco scelus.
Anime, parandum est. Liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus poenas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit. Ira discessit loco,
Materque tota coniuge expulsa redit.
Egon' ut meorum liberûm ac prolis meae
Fundam cruorem? melius, ah demens furor!
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas
A me quoque absit. Quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, et maius scelus

v. 907. *Commodavi*, sc. Iasoni, non mihi feci. Illud scelus mihi faciendum est.

Medea mater. Occidant: non sunt mei.
Pereant? mei sunt. Crimine et culpa carent.
Sunt innocentes. Fateor: et frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps aestus incertam rapit.
Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt;
Utrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. Ira pietatem fugat,
Iramque pietas. Cede pietati, dolor.
Huc cara proles, unicum afflictae domus
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Coniungite artus. Habeat incolumes pater,
Dum et mater habeat. Urget exsilium ac fuga.

---

v. 934. *Non sunt mei.* Sophista quidam sic loquentem facit Medeam: *Occide Medea Iasonis filios, hominis iniqui, improbi patris, hospitis mali.*

v. 940. *Ut saeva rapidi.* Similitudine hac navis a diversis ventis varie agitatae utuntur et alibi poëtae: ita enim hic ipse noster Seneca Agamem. Act. 2. *Fluctibus variis agor Ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit Incerta dubitat unda cui cedat malo.* Ovidius lib. 7. Metamorph.: *Utque carina, quam ventus, ventoque rapit contrarius aestus, Vim geminam sentit, paretque incerta duobus, Thestias haud aliter dubiis affectibus errat.* Id. Ovid. in epist. Cydippes: *Ipsa velut navis iactor, quam certus in altum Propellit Boreas, aestus et unda refert.* Statius lib. 1. Thebaid.: *Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus Vela trahunt: nutat mediae fortuna carinae.*

Iam iam meo rapientur avulsi e sinu,
Flentes, gementes. Osculis pereant patris;
Periere matris. Rursus increscit dolor,
Et fervet odium. Repetit invitam manum
Antiqua Erinnys. Ira, qua ducis, sequor.
Utinam superbae turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisque septenos parens
Natos tulissem! sterilis in poenas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quaerit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat

---

v. 949. *Avulsi sinu.* Ita Catullus: *Qui natam possis complexu avellere matris, Complexu matris retinentem avellere natam.*

v. 956. *Natos.* Quot Medea filios habuerit, ex Parmenisci et aliorum sententiis refert Scholiastes Euripid. in Medea. Hos omnes, uno excepto, a Medea necatos scribit Diodorus lib. 4. Sed Aelianus lib. 1. ποικιλ. ἱστορ. cap. ult. refert, eos a Corinthiis interemptos fuisse. Non desunt etiam, qui Medeam Corinthiam faciant. De quo videndus est Scholiastes Apollonii. Illud h. l. notandum: duos tantum Medeae filios voluisse Ovid. Metam. 7. Apollodor. lib. 1. Bibliothec. et Hygin. c. 25.

v. 960. *Cruentas faces.* Tales faces inferorum depinguntur. Unde Ovid. Metam. 4. *Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem.* Petronius: *Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.*

v. 961. *Anguis.* Visis Furiis et audito verberum sono ad insaniam homines adigi credebant, quemadmodum patet

Tortus flagello. Quem trabe infesta petit
Megaera? cuius umbra dispersis venit
Incerta membris? frater est. Poenas petit.
Dabimus. Sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure. Pectus en furiis patet.
Discedere a me, frater, ultrices Deas,
Manesque ad imos ire securas iube:
Mihi me relinque, et utere hac, frater, manu,
Quae strinxit ensem: victima manes tuos
Placemus ista. Quid repens affert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostrae tecta conscendam domus

---

et ex h. l. et ex Herc. Fur. act. 4. Flammifera Erinnys verbere excusso sonat etc. vide p. 37. Idem Horat., ut volunt nonnulli, de Bellona significavit lib. 2. Sat. 5. *quem cepit vitrea Fama Hunc circum tonuit gaudens Bellona cruentis*, hic, inquit, insanus, non attonitus tantum censendus.

v. 967. *Frater.* Absyrtus, quem conveniunt omnes ab impia sorore laniatum: sed Pacuvius et Diodorus Aegialeum vocant. Plerique volunt fuisse germanum fratrem, Sophocles in Scythis uterinum tantum. Timonax τῶν Σκυθικῶν lib. 2. et Apollonius lib. 3. ob formae praestantiam Phaëthontem nominarunt. Quidam Medea natu maiorem faciunt, quibus favet Valer. Flaccus, Pherecydes lib. 7. a Medea ex cunis infantulum sublatum, et in mari postea necatum tradidit, quod tamen in patriis aedibus patratum mavult Sophocles in Colchid. sed Apollonius prope Istrum, Plinius in Insulis, quae ab hoc facinore Absyrtides nuncupatae. De eo videndus est Scholiastes Apollonii lib. 4.

Caede inchoata. Perge tu mecum comes.
Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime; non in occulto tibi est
Perdenda virtus. Approba populo manum.
IAS. Quicunque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus. Huc, huc, fortis armigeri cohors,
Conferte tela. Vertite ex imo domum.
MED. Iam iam recepi sceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratae tenent.
Rediere regna. Rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina! o festum diem!
O nuptialem! vade. Perfectum est scelus;
Vindicta nondum. Perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Iam cecidit ira. Poenitet. Facti pudet.
Quid, misera, feci? misera, poeniteat licet,
Feci. Voluptas magna me invitam subit:
Et ecce crescit. Deerat hoc unum mihi,

---

v. 977. *Approba populo manum.* Hoc loco Medea inducitur a poëta contra Horatii praeceptum filios coram populo trucidans. Quia tantus furor, quantum superius descripsit, quem oportet multum assurgere, nuda commemoratione pro dignitate exprimi nequivisset, spectandum facinus, non narrandum auditoribus fuit.

v. 987. *Dum faciunt manus.* 'Εμφατικῶς id dicit pro dum sustinent facere.

v. 991. *Invitam.* Alii legunt invisam, uno tamen et eodem sensu: Hoc enim vult dicere: Odit me voluptas et laetitia, subit tamen.

Spectator ipse. Nil adhuc factum reor.
Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.
IAS. En ipsa tecti parte praecipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. MED. Congere extremum tuis
Natis, Iason, funus, ac tumulum strue.
Coniux socerque iusta iam functis habent
A me sepulti. Natus hic fatum tulit.
Hic te vidente dabitur exitio pari.
IAS. Per numen omne, perque communes fugas,
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Iam parce nato. Si quod est crimen, meum est:
Me dede morti; noxium macta caput.
MED. Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
I nunc, superbe, virginum thalamos pete.
Relinque matres. IAS. Unus est poenae satis.
MED. Si posset una caede satiari manus,

---

v. 997. *Congere extremum tuis.* His repugnant illa Euripidis in Medea: *θάψαι νεκρούς μοι τούσδε καὶ κλαῦσαι πάρες. Μὴ οὐ δῆτ᾽ ἐπεὶ σφὰς τῇδ᾽ ἐγὼ θάψω χερὶ Φέρουσ᾽ ἐς Ἥρας τέμενος Ἀκραίας θεοῦ.* Iason ibi dicit: *Me haec funera sepelire et lugere sinas.* Respondet Medea: *Minime, quando ego ipsos hac sepeliam manu Delatos in templum Iunonis Acraeae deae.*

v. 1003. *Non nostra violavit fides,* id est: Non fides mea erga te imminuta has nuptias me, sed liberorum amor facere coegit.

v. 1009. *Si posset una caede.* Hoc dicit: si unius caedes iram meam exsaturare posset, aliquid pietatis adhuc in animo reliquum foret, et si quid in animo pietatis remansisset, nullum e natis interficere sustinuissem: nunc quia

Nullam petisset. Ut duos perimam tamen,
Nimium est dolori numerus angustus meo.]
In matre si quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
IAS. Iam perage coeptum facinus, haud ultra precor;
Moramque saltem suppliciis dona meis.
MED. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.

---

omnem animo pietatem expuli, ne duorum quidem caedes animum meum placat: ideo meamet *viscera scrutabor ense,* ut si qua tui pars corpore meo clausa latitet, illam inde extraham.

v. 1015. *Moramque saltem.* Varie se torquent interpretes in explicatione huius loci. Iosephus Scaliger sub persona Medeae legit haec omnia iunctim: *Scrutabor ense viscera et ferro extraham: Iam perage coeptum facinus, haud ultra precor, Moramque saltem suppliciis dona meis. Perfruere lento scelere, ne propera, dolor, Meus dies est.* Lipsius distinctionem personarum admittit, et Iasoni illa verba tribuit: *Iam perage coeptum facinus, haud ultra precor,* sed pro illo *Moramque* etc. substituit: *Moramque saltem supplicibus dona meis:* idque facit oblitus, cum alibi locum in quarta regione anapaesto esse posse idem negasset. Ad sententiam quod attinet, censet haec omnia confusa, nec sanae mentis: Iason, inquit, cupit statim interimi liberos, non tractim mori et per singulos artus. Ea enim sententia primi versus. At pugnat ecce alter, et quaerit supplicii moram. Denique Medea respondet quasi ex voto, et exorata. Omnia (addit) contra sunt et suspicatur versus praepostere locatos et digerendos sic: *haud ultra precor:* MED. *Perfruere lento scelere; ne propera, dolor, Moramque saltem supplicibus dona meis.* Ita enim se malle quam suppliciis. Sententiam autem vult

eus dies est: tempore accepto utimur.
s. Infesta memet perime. MED. Misereri iubes.
ne est, peractum est. Plura non habui, dolor,
uae tibi litarem. Lumina huc tumida alleva,
grate Iason. Coniugem agnoscis tuam?

---

esse hanc: Optas, inquit Medea, cito defungi hoc spectaculo? haud fiet; et cum irrisione: ne propera, mi dolor, et moram saltem indulge his qui tibi supplices. Martinus Delrius versiculum 1017. putat non sua in sede nunc inveniri, itaque reducit illum ad vers. 1006. h. m.: Me dede morti, noxium macta caput, infesta memet perime. MED. misereri iubes: Hac qua recusas etc. Et postea: meus dies est, tempore accepto utimur, Bene est, peractum est. Et addit haec sententiae confirmandae causa: Ipse occidi malebat Iason, quam filios se coram. At Medea, velles, ait, mori, remedium et portum malis quaeris. At mihi certum te nece filiorum in oculos ingesta, quod summe malum metuis, excruciare, et simul cum minis, uno infantulorum iugulato, alterius quoque caedem parat; ut hunc eripiat, unum dicit Iason poenae sufficere. Nec duos iram et tumorem animi sui explere, subinfert illa, posse, et occiso reliquo, scrutaturam se gladio, numquid Iasonium adhuc in visceribus lateat. Refert Iason, non ingratum id sibi spectaculum fore, nec supplicem se illi ultra: mortuis liberis peragat coepta, se quoque ipsam interficiat; hoc spectaculum sibi remissionem quandam et moram doloris fore, ideo dicit: moramque saltem: quibus verbis efferatur aspis illa, et abiecta suae necis mentione pergit insultare afflicto. Ego vero largiar tibi moram lugendis, lavandis, sepeliendis liberis: aspectum quoque vindicis tuae, quae duo Iasoni acerbissima, viperam illam videre sanguine liberorum madentem audire insultantem, et ulcisci non posse.

Sic fugere soleo. Patuit in coelum via.
Squammosa gemini colla serpentes iugo
Summissa praebent. Recipe iam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.

---

v. 1025. *Aliti curru vehar.* De hoc curru Terentius Varro in Marcipore ita: *Medeam advectam per aëra in rhedae anguibus.* Ubi notandum, quod Seneca currum vocat, id a Varrone rhedam vocari. Et monet Nonius: ibi rhedam pro curru poni. Rheda tamen proprie Gallica vox est, et leviculi currus genus duarum rotarum, teste Fabio lib. 1. cap. 5. quo non solum nobiliores, sed etiam vilissimi homines vehebantur. Docet hoc Cicero in Philipp. 2. his verbis: *Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur.* Et paulo post: *sequebatur rheda cum lenonibus.* Rhedarum porro aliae meritoriae, aliae cursuales fuerunt, ut docet Ioan. Corrasius lib. 3. miscellan. cap. 20. et Iac. Cuiacius ad rubr. Cod. de cursu publ. angariis et parangariis lib. 12. Cum autem h. l. Medea curru alibi per aërem se vectum iri doceat, non inconvenienter hic quaestio illa: An daemones hominem per aërem ferre possint, excutitur. Sciendum autem est, quod, etsi grave corpus sua natura per aërem huc illuc ferri non possit, tamen daemones id praestare posse, quod non de assumptis modo corporibus, quod communiter theologi concedunt, sed de non assumtis etiam, quantum iis magna sint, dummodo per id universi ordo a Deo praestitutus non immutetur, omnino certum existimant. Transferre ergo potest homines de loco in locum etiam valde distantem, idque fecisse illum aliquoties tam sacrae quam profanae historiae testantur. Nam duo millia porcorum mali angeli in mare praecipitarunt, ut patet e cap. 5. Marci. Satanas trans-

tulit Christum Dominum e deserto in Hierusalem, et ab Hierosolymis in montem excelsum, ut docet Matth. c. 4. et S. patres Chrysostom. August. Ambros. Gregor. et caeteri omnes observant: imo et D. Eusebius Emissenus a malo spiritu in desertum ductum significat, sed hoc a D. Chrysost. Gregorio et reliquis non recipitur. Boni Angeli Philippum Diaconum et Abacuch asportarunt, ut constat ex Actor. Apostol. c. 8. et Daniel. c. ult. Simon magus a multis inspectantibus visus est in coelum elevari, ut referunt D. Clemens Rom. lib. 6. constitut. Apostol. Hegesippus lib. 3. D. Cyrill. Hierosolymit. Catechet. Mystagog. 6. D. Epiphanius, Theodoretus, et alii. Confirmatur idem, quia multi reperti sunt in locis distantissimis eo a Diabolo translati, ut testantur Alphonsus Castro lib. 1. de haeret. punit. cap. 16. et Sylvest. lib. 2. de strigibus: De Pythagora Laertius, de Apollonio id testatur Philostratus, de aliis Pompon. Mela lib. 3. cap. de Atlante monte. Plin. lib. 1. c. 5. Solinus in Polyhist. Olaus Magnus lib. 3. Region. Aquilonar. cap. 11. Sprengerus in Malleo Malefic. et spina quaest. de Strigib. cap. 5. et 12. et contra Ponrinibium Apolog. 1. cap. 4. Grilland. lib. de Sortileg. Nec audiendi plerique iuris Canonici interpretes, qui vehementer ab hac sententia abhorrent, autoritate C. Episcopi q. 1. ubi id ludificationi sensuum adscribitur. Nam si recte attendantur verba Canonis, satis illa innuunt, ibi non tradi hoc nunquam fieri, ut vere loco moveantur; sed duntaxat abalienantur, quod etiam Olaus ipse vidisse se testatur. De huiusmodi exstasi, quam agnovit Plato, non male accipi putant illud Virgil. Aen. 4. alio quoque sensu intelligendum: *Haec se carminibus promittit solvere montes, quas potest.*

Ib. *Vehar.* Evasit ergo, ut et postea manus Thesei: post obitum credita Medea nupsisse Achilli: Autores Ibycus, Simonides et Apollonius, et in Ambra Politianus.

IAS. Per alta vade spatia sublimi aetheris:
Testare nullos esse, qua veheris, Deos.

---

v. 1026. *Sublimi aethere.* Alii legunt: sublimi aetheris. Nam vox sublimus nota Prisciano et Nonio, sicut sterilus, hilarus. Sallust. lib. 3. histor.: *Sublima nebula coelum obscurabat.* Ita et Lucret. lib. 1. *At nunc per maria ac terras sublimaque coeli.*

v. 1027. *Testare nullos.* Nam si qui forent, tantum scelus vivere non paterentur Ethnicorum more: quibus supplicia malorum Deos esse, impunitas non esse persuadebat. Hinc apud Euripid. in Bacchis Cadmus: *Εἰ δ' ἐστὶν ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ, Εἰς, τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον ἡγείσθω θεούς: Quod si sit ullus, qui deos contempserit, Huiusce visa morte iam credat Deos.* Ita Electra apud Sophoclem: *Οἱ δὲ μὴ πάλιν Δώσουσ' ἀντιφώνους δίκας, Ἔῤῥοιτ' ἂν αἰδὼς ἁπάντων τ' εὐσέβεια θνητῶν. Neque rursum illi iustas solvant poenas: Effluet omnis pudor et pietas Homines inter nulla futura est.* Huc pertinent illa Virgilii Aen. 1. *Et quisquam numen Iunonis adoret Praeterea, aut supplex aris imponat honorem.* Illud porro h. l. notandum est, saniores Philosophos abhorruisse non tantum ab asseveratione, sed etiam mentione illius Axiomatis, Deos non esse. Nam ut Cic. docet lib. 2. de N. D.: *Mala et impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.* Id. lib. 3. de N. D. *Philosopho nihil minus conveniens, quam deos tollere.* Cui consentit illud Pindari Oda 1. Olymp. Strophe 2. *Ἐστὶν ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά.* Ac notatu dignum est, quod id. Cic. lib. 1. de N. D. tradit de Abderite Protagora. *Abderites,* inquit, *Protagoras cum in principio libri sui sic posuisset: De Dis neque, ut sint, neque ut non sint, habeo dicere, Atheniensium iussu urbe atque agro est exterminatus, librique eius in concione combusti.* Iidem Anaxagoram, cum asseruisset, solem, quem ipsi deum existimabant μύδρον εἶναι διάπυρον, παρ' ὀλίγας ψήφους morte mulctandum iudicarunt, teste Iosepho lib. 2. adv. App. Et Pythagorae caput talenti pretio exposuerunt, quod mysteria eorum risisset.

L. ANNAEI SENECAE

T R O A D E S.

PROLOQUIUM

IN SENECAE TROADA.

Ornatissimi Auditores. Qui scriptorem sive comicum sive tragicum explicandum suscipiunt, solent omnia, quae ad indolem et constitutionem utriusque dramatis pertinent, diligenter conquirere, et prius quam ad tractationem scriptoris accedant, auditoribus suis proponere. Atque eam explicandi sive comici sive tragici scriptoris rationem tantum abest, ut improbatum eamus, ut omnino necessariam iudicemus. Nisi enim et scribendi ratio et consilium scriptoris auditori aperiatur, eum, quem debet, fructum ex proposito dramate nequaquam capiet. Ego autem quo minus hoc tempore id faciam, suspicari vos quidem, me etiam non monente, facile potestis. Scitis enim quaecunque huius generis sunt, ea me accurate persecutum esse anno superiore proximo, cum Senecam tragicum in hoc auditorium gymnasticum primo inducerem, et illius Medeam explanarem.

Exorsus enim tum ab ipsius poëmatis explicatione ostendi varia poëtarum genera, et docui, quinam apud veteres fuerint comici, qui tragici, qui melici, qui epici, quibus lyrici et dithyrambici annectuntur. Monstravi quid intersit inter comoediam et tragoediam et utriusque appellationis rationem adieci. Progressus sum deinde ad Tragoediae species, eiusdemque partes. Enumeravi omnium, quotquot post inventam tragoediam reperiuntur, tragoedorum nomina. Cum autem id temporis tragoediam quidem, sed Senecae tragoediam proponendam delegissem, egi etiam opera eadem, quod omnino ad rem pertinebat, de ipso Seneca: eius vitam, mores, fortunam, scripta, et vitae exitum, quantum quidem fieri et ex bonis et fide dignis historicis cognosci potuit, exposui. Haec omnia igitur cum eo tempore, ut paulo ante dixi, quo Medeae explicationem aggressus sum, accurate tradiderim, supervacaneum putavi actum agere, de novo ista omnia repetere et inculcare. Itaque rectissime mihi facere videor, si omissis ambagibus et nulla circuitione usus ad ipsam Troada veniam; cuius argumentum hoc est:

ARGUMENTUM TROADIS.

Exciso Ilio cum Graeci patriam cogitantes adverso flante vento solvere non possent, noctu ap-

paruit Achillis umbra, et Polyxenae sacrificium manibus suis inferre imperavit. Negabat Agamemnon, se, ut regia virgo in inferias mactaretur, permissurum. Consultus Calchas respondit, omitti non posse: unam hanc classis moram: sed alteram potiorem, Hectoris filium Astyanactem, hunc quoque necandum. Ulysses ergo Astyanactem e latibulis producit, et de Scaea porta deiicit. Pyrrhus abductam ab Helena Polyxenam, et connubialibus vestibus ornatam ad tumulum parentis sui mactat.

DE TITULO TROADIS.

Vocatur haec Tragoedia *Troas*. Eam appellationem Iul. Scaliger lib. 3. Poëtices p. 369. tanquam non satis convenientem improbat et vellicat, quamquam in quibusdam codicibus non Troas, sed Troades habetur, quod Luctatius agnoscit, et Euripidis auctoritate astruitur. Ad Scaligeri autem tituli huius *Troas* reprehensionem quod attinet, ei ab omnibus locus non datur. Sunt enim qui statuunt vulgatam inscriptionem defendi posse vel ipsius Scaligeri iudicio, qui paulo ante scripserit: Titulum esse imponendum ab ea persona, quae est celeberrima vel dignitate vel infelicitate, aut quae plurimum versatur in toto argumento. Est autem hic haud dubie talis Hecuba, cui haec omnia simul conveniunt. Noluit tamen autor Hecubam

inscribere, vel quia Andromachae, Polyxenae, ceterarumque Troadum calamitates inseruntur, vel quia Troadis appellatione Hecuba intelligatur. Quamquam non desunt etiam, qui Troades appellari hanc tragoediam, quam Troada, convenientius esse existiment. Quanto autem in mentionem huius appellationis devenimus, indicare per hanc occasionem ab re non fuerit, quinam praeterea autores Troadas scripserint. Edidit igitur Troades Attius et Euripides, e quibus, praesertim ex huius Hecuba multa desumpsit hic noster Seneca. Troadem et Tragoediam Q. Cicero scripsit, ut ex M. Ciceronis ad eum epistolis patet. Macrob. lib. 5. Saturnal. ait Epicharmum Troes composuisse. *Τὰ Τρωϊκά* autem et res sub Priamo gestas memoriae prodiderunt graece quidem Demetrius Scepsius, Dionysius Milesius, Metrophanes Phrygius Sophista, Palaephatus Abydenus, Polemon Euergeti filius, Timolaus Larissaeus, Philostratus Nerviani F. Phormus Syracusanus, Hestiaea Alexandrina, Metrodorus Chius, Pisander, Hegesianax Alexandrinus, Acatus Argivus, Phileas, Chamaelcon, Hellanicus, Hermogenes, Idomeneus et Aristonymus, qui Ptolemaei bibliothecae praefuit; hos omnes citant Athenaeus, Pausanias, Plutarchus, Strabo, Laërtius, Suidas, Clemens Alexandr. et Scholiastae Homeri, Hesiodi, Dionysii, Apollonii,

Theocriti, Euripidis, Arati, Aeschyli, Sophoclis, Lycophronis et Aristophanis. Idem argumentum persecuti sunt Dictys, Lesches, Tryphiodorus, Dares, Coluthus, Smyrnaeus, Lycophron, et Homerus, qui tamen, quod vulgo creditur, primus non fuit. Aelianus enim lib. 4. var. hist. testatur poëtam quendam Syagrum ante omnes bellum Troianum cecinisse; et in Suidae lexico legitur Corinnum Iliensem poëtam belli Troiani tempore vixisse, et primum Iliada scripsisse, atque ab eo Homerum Iliada suam mutuatum fuisse, quod ipsum de Sisypho Coo tradidit Ioann. Melees teste Tzetze Chiliad. 5. hist. 29. Nestorem et quendam Larandensem, Pisandri patrem, Severi Imp. tempore Iliadem scripsisse tradunt non invita Minerva. Nam Metamorphoses eiusdem Parthenii Niceni, inprimis laudati scriptoris, Metamorphosium libris comparantur. Exstat enim liber Dionis Chrysostomi, in quo argumentis quibusdam adductis evincere conatur, Troiam non esse captam, quod ille fortasse persuadere voluit lectori non tam veritatis labefactandae, quam ingenii venditandi cupiditate adductus, cum tot scriptorum graecorum et latinorum confirmata de Troia eversa fides historica in dubium vocari non facile possit. Descriptio autem et narratio belli Troiani luculenta praeter narrationem Homericam exstat etiam apud

Herodotum lib. 2. sive in Euterpe, in qua ordine exponuntur causae expeditionis a Graecis contra Troiam susceptae. Meminit eiusdem Isocràt. in Panegyr. p. 78. 79. Idem in Panathenaico p. 249. docet, bellum Troianum susceptum verbo pro Helena, re ipsa, ne Graeciam barbari male tractarent. Virgil. lib. 2. Aen. ut satis constat, totam excidii Troiani historiam breviter complexus est. Meminit eiusdem Ovid. l. 12. et 13. Metam. et ceteri poëtae variis locis. Latine praeterea scribuntur tractasse hoc argumentum Clodius Sabinus, qui de bello Troiano scripsit, et Lucanus, quem P. Crinitus lib. 3. de poëtis lat. act. quaedam de Troiae incendio et Priami calamitate composuisse. Avorum nostrorum memoria a quodam Guidone, (qui ubi et quando vixerit, et cuias fuerit, non constat) Troianum bellum oratione soluta descriptum comperimus. A Ioann. Scopa citatur Ioan. Iudex de Columna in Troiana historia. Exstat et Martiani Coriolani Odyssea ex Homero desumpta.

DE NOMINE TROAS.

Ad ipsum nomen Troiae quod attinet, sciendum est, quod Troas fuerit regio minoris Asiae, quam Ptolemaeus minorem Phrygiam appellat: ea regio Hellesponto adiacet. Est autem Hellespontus fretum angustum inter Propontidem et mare Ae-

gaeum Asiam ab Europa septem non amplius stadiorum intervallo disterminans, ita dictum ab Helle Athamantis filia in eo submersa. Ad Troada ut revertamur, eam Homerus ab Asopo flumine usque ad Caici fluminis ostia produxit. Plinius autem caeterique recentiores Lecto promontorio eam ab Aeolide dividunt. In ea fuit Ilion mille quingentis passibus a portu distans. Troiae vox et ipsa sumitur, teste Servio, pro regione minoris Asiae, ita dicta a Troe rege Erichthonii filio, cum antea a Teucro Teucris et a Dardano Dardania diceretur. Non raro tamen Troia poëtis pro ipso Ilio accipitur, quod apparet cum ex multis aliis poëtarum locis, tum ex illo Ovidii in epist. Penelopes ad Ulyssem: *Troia iacet certe Danais invisa puellis*; et Virgiliano illo: *Et campos ubi Troia fuit.*

DE TEMPORE CAPTAE TROIAE.

Tempus ipsum Troiae captae quod attinet, de eo mirifice dubitabatur inter Chronologos. Omnes quidem conveniunt in tempore naturali, Ilium noctu esse excisum. De tempore autem politico discrepantes reperiuntur historiarum sententiae. Alii enim excidium illud referunt ad 1. Februarii, alii ad 12 eiusdem mensis. Maior difficultas oritur, si annum eversae Troiae quaerimus, quem omnes ita obscurant, ac si de industria unus alteri contra-

diceret. Veterum rationes mirifice dissonas expedivit Scaliger lib. 5. de emend. temp. p. 206. Recentiorum ἀντιλογίαι perspici possunt ex Chytraeo, qui in sua Chronologia p. 138. 139. casum Troiae ponit anno mundi 2782. Lucidus et Funcius anno 2783. Isidorus anno 2607. Coptius anno 2789. Phil. 2. Chron. p. 52. anno 2852. qui et alias passim tempus excidii Troiani refert ad aetatem Davidis Israëlitarum Regis. Exstant etiam Dictys Cretensis et Daretis Phrygii pleniora et certiora ferme commentaria. Dares enim bello Troiano miles interfuit, si fides adhibenda est Isidoro, alter genere Cretensis cum Idomeneo filio Deucalionis ad Ilium venit, et annales belli Troiani condidit, quos moriturus plumbea arcula occultavit, et secum sepeliri curavit, eosque tandem terrae motus anno Neronis 13 detexit recensente Suida.

L. ANNAEI SENECAE
TROADES.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Graeci, exciso iam Ilio, reditum in patriam cogitantes contrario vento detinebantur. Apparens noctu Achillis umbra solvere eos posse negat, nisi sibi debitis inferiis mactata Polyxena, cuius nuptiarum praetextu interfectus est. Non fert Agamemnon sibi amatam Polyxenam mactari. Qua de re orto cum Pyrrho iurgio, intervenit consultus Calchas, qui omnino immolandam pronuntiat, unaque necandum Astyanacta, quem a matre absconditum abducit Ulysses, et de Scaea porta deiicit. Polyxenam ab Helena auspice, ritu cultuque sponsae deductam ad patris tumulum, Pyrrhus mactat.

HECUBA.

Quicunque regno fidit, et magna potens

---

v. 1. *Quicunque regno fidit.* Boëthius lib. 2. de consolat. 1. *Deprehendisti caeci numinis ambiguos vultus. Rotam volubili orbe versamus; infima summis, summa infimis mutare gaudemus. In fastigio aliquis positus sibi videtur,*

Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum laetis dedit,
Me videat, et te, Troia. Non unquam tulit

---

divitiis, gloria, clientum turba conspicuus, et culmen iam tenere felicitatis humanae? Ah miser, ignoras, quam infida fiducia te extollas: Ultima semper Exspectanda dies homini est, dicique beate Ante obitum nemo supremaque funera debet. Divitias fames a tergo sequitur, dignitates mille contumeliae. Quae vires atque opes humanae vocantur, affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt. Neminem eo fortuna provexit ut non tantum illa minaretur, quantum promiserit. Quam incerta et inconstans sit magnae fortunae possessio, Seneca ostendit epist. 4. exemplo Alcibiadis: *Alcibiadi*, inquit, *nobilitas eximia, abundantes divitiae, forma praestantissima, favor civium propensus, summa imperia, flagrantissimum ingenium obvenere; sed et eundem damnatio, inopia, odium patriae, violenta denique mors exspectavit. Crasso pecuniae magnitudo locupletis nomen dedit, sed eidem postea inopia turpem decoctoris suspicionem immisit. Siquidem bona eius a creditoribus, quia solidum praestare non poterat, venierunt.* Q. Caepio Praeturae splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi Pontifices sacerdotio, ut senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque eius funestis carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis iacens magno cum horrore fori Romani conspectum est, ut tradit Val. M. lib. 6. c. 11. Numquid aliquis aut tam magna aut tam insperata consecutus est, quam Seianus? de quo eodem Val. M. l. 9. c. 11. Camerar. in hor. succis. (cent. 2. c. 52.). At quo die senatus eum deduxerat, populus in frusta divisit: in quem quicquid congeri poterat, Dii hominesque contu-

ocumenta Fors maiora, quam fragili loco
arent superbi. Columen eversum occidit
ɔllentis Asiae, coelitum egregius labor.
d cuius arma venit, et qui frigidum

---

lerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Huc pertinet illud Lucani lib 1. *In se magna ruunt, laetis hunc numina rebus Crescendi posuere modum.* et Senecae huius nostri in Agamemnone; *Licet arma vacent, Cessentque doli, Sidunt ipso pondere magna, Ceditque oneri fortuna suo. Feriunt celsos fulmina colles.* Ib. aliquanto post: *Quicquid in altum Fortuna tulit, ruitura levat. Modicis rebus longius aevum est. Felix mediae quisquis turbae Sorte quietus Timidusque mari credere cymbam Remo terras propiore legit.*

v. 5. *Quam fragili loco starent| superbi.* Superbia commune nobilitatis malum est, teste Sallust. in Iugurth. Invaluit autem apud Latinos, ut superbia pro nobilitate, et superbi pro nobilibus dicantur, ut ait Servius Aen. 1. 3. et 7. Ex quo est illud Virg.: *ceciditque superbum Ilium,* et Silius de annulis in Cannensi clade nobilibus Romanis detractis agens: *Testes hi stragis, quos signum illustre superbis Mos laeva gestare viris, tum funditur ante Ora admirantum praefulgens annulus auro.*

v. 6. *Columen eversum occidit Pollentis Asiae.* Quod h. l. de Troia, id Thren. Ierem. c. 2. de Hierosolyma his verbis effertur: *Haeccine est urbs, quam fama erat, omnium esse pulcherrimam, ex cuius flore laetitiam capiebat universa regio.*

v. 7. *Coelitum,* Neptuni et Apollinis, qui a Laomedonte mercede conducti Troiae muros aedificarunt autore Virgilio lib. 3. Aen. Ovidio in epist. Paridis et Aphthonio in Progym.

v. 8. *Qui frigidum Tanain.* Tanais fl. est Scythiae, Asiam

Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum primus excipiens diem,

---

dividens ab Europa, a septentrione in meridiem fluens, Nilo adversus, teste Strabone lib. 11. paulo tamen orientalior per Scythas et Sarmatas in Maeotim defluit.

v. 9. *Septena.* Rhesum significat. Fuit autem Rhesus filius Strymonis et Euterpes Musae, rex Thraciae, qui albis equis in auxilium Troianorum venit, sed prodente Dolone speculatore Troiano a Diomede et Ulysse, qui et ipsi speculatum venerant, prima nocte occisus, antequam eius equi Xanthum bibissent, cum vespere tum primum advenisset, et clausis iam portis in littore tetendisset. Fuerat enim ipsi responsum oraculo, si ipse et equi ipsius Xanthum bibissent, Troianaque pabula gustassent, invictam fore Troiam: sed illi rege occiso statim abduxerunt equos, a quibus pendebant fata Troiana. — Notandum hoc loco est, quod Hecuba, tanquam mulier Cosmographiae ignara, id Tanai tribuit, quod Istro tribuendum erat, in quo praeclare Seneca decorum servavit.

v. 10. *Qui renatum.* His verbis Euphratis accolam, Memnonem describit, qui non ex Aethiopia, sed ex Susis, autore Pausania, Troiam venit. Quo loco iterum notandum, quod Euphrates ortus in penitissima Asia, supra Zimarum, ad Capolis montis radices, Tigri commistus in Persicum mare influit, non, ut h. l. Seneca asserit, in rubrum mare. Addit tamen non sine causa vocem *Prorsus.* Nam in Armenia maiore oritur, quae in orientem vergit. Itaque solis ortum ante se videt, et orientem diem quasi excipit. *Prorsus* autem hic idem valet, quod recta, quomodo et in Pseudolo Plautina usurpatur isto versu: *Non prorsus, verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet.* et apud Terentium in Hecyra: *Trepidari sentio, cursari sursum, prorsum.*

Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quae vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamum; incubuit sibi.
En alta muri decora congesti iacent
Tectis adustis; regiam flammae ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troia, nec coelum patet
Undante fumo. Nube ceu densa obsitus,
Ater favilla squallet Iliaca dies.
Stat avidus irae victor, et lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis; horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci. Spolia populator rapit
Dardania; praedam mille non capiunt rates.
Testor Deorum numen adversum mihi,
Patriaeque cineres, teque rectorem Phrygum,
Quem Troia toto conditum regno tegit,
Tuosque manes, quo stetit stante Ilion,
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbrae minores. quidquid adversi accidit,

---

v. 17. *Assaraci domus*, Troia. Nam Assaracus fuit Trois regis Troiani filius, frater Ili regis, qui genuit Capyn, a quo Anchises pater Aeneae: unde illud Virgil.: *Et domus Assaraci:* et Horat. in epod.: *Te manet Assaraci tellus.*

v. 32. *Liberûm magni greges.* Homerus, Euripides et Virgil. Hecubae quinquaginta liberos tribuunt, pauciores Theocritus, Cic. Tusc. 1. 17.

Quaecunque Phoebas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, praedixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iste est. Facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversae gemis
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes. Troia iam vetus est malum.
Vidi exsecrandum regiae caedis nefas,

---

v. 34. *Quaecunque Phoebus.* Cassandrae vaticinia exponuntur a Lycophrone, nonnulla etiam apud Cic. 1. div. reperiuntur his verbis: *Illud, quod volumus, expressum est, ut vaticinari furor soleat: Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio: Multos annos latuit: cives ferte opem et restinguite.* Et statim post idem Cic. ib.: *Deus inclusus corpori humano, iam non Cassandra loquitur: Iamque mari magno classis cita Texitur, exitium examen rapit (classis). Advenit et fera velivolantibus Navibus complevit manus littora.* — Phoebas est fatiloqua quasi Phoebaei numinis concepto afflatu fureret et agitaretur in bacchantis imaginem.

Ib. *Ore lymphato furens.* Lymphaticus idem est quod furiosus, insaniens, qui vitium ex aquae conspectu contraxit, vel ex imagine visa in aqua. De eo ita Festus: *Vulgo memoriae proditum est, quicunque speciem quandam e fonte, vel effigiem nymphae viderint, furendi non fecisse finem, quos Graeci* νυμφολήπτους *vocant, latini lymphaticos appellant.* — Lympha Aqua dicitur Latinis, Graecis vero νύμφη. Mutaverunt autem Latini ν in λ.

v. 44. *Vidi exsecrandum.* Expressit hoc Seneca noster ex

psasque ad aras maius admissum scelus
iacis armis, cum ferox saeva manu
oma reflectens regium torta caput
lto nefandum vulneri ferrum abdidit;
uod penitus actum cum recepisset libens,
nsis senili siccus e iugulo rediit.
lacare quem non potuit a caede effera
[ortalis aevi cardinem extremum premens?
uperique testes sceleris? et quondam sacrum
egni iacentis? Ille tot regum parens

Euripidis versibus, quorum initium est: *Καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον.*

v. 45. *Ipsasque ad aras,* sc. Iovis: quod hoc graeco versu extulit Tryphiodorus: *Αἰακίδης δὲ γέροντα Νεοπτόλεμος βασιλῆα Πήμασι κεκμηῶτα παρ' Ἑρκείῳ κτάνε βωμῷ.* Attius citante Cic. lib. 3. Tusc. quaest.: *Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.* Virgil. saevum illud Pyrrhi in occidendo Priamo facinus his verbis effert Aen. 2. *Haec dicens altaria ad ipsa* etc.

Aeacidae (nunc legitur *Aiacis* e Scaligeri coniectura) *armis.* Aeacides est Achilles Aeaci nepos ex Peleo Aeaci filio, ab Aeaco, qui ex Endeida Chironis filia in uxorem ducta Telamonem genuit et Peleum.

v. 53. *Quondam sacrum regni iacentis.* Sacrum vocat sacrarium vel aram Iovis: quo pertinet, quod infra dicit: *Magnoque Iovi victima caesus.* Ad eam aram inaugurandi reges auspicabantur, quod docet Seneca noster in Agamemnone his verbis: *Hoc est vetustum Pelopeae limen domus, Hinc auspicari regium capiti decus Mos est Pelasgis.* In limine ait auspicari solitos. Iam si hic auspicabantur, non obscurum, quare vocet *sacrum regni.* Addit autem

Caret sepulcro Priamus, et flamma indiget
Ardente Troia. Non tamen superis sat est.
Dominum, ecce, Priami nuribus et natis legens
Sortitur urna. Praeda quem vilis sequar?
Hic Hectoris coniugia despondet sibi;
Hic optat Heleni coniugem; hic Antenoris;

---

quondam, quia dii omnes, antequam Troia caperetur, urbem deseruisse credebantur: unde Virg. Aen. 2. *Excessere omnes adytis, sacrisque relictis, Dî quibus imperium hoc steterat.* Idem luculenter expressit Aeschyli Scholiastes ita scribens: *λέγεται γὰρ ὅτι ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀνελόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν.* Veientium quoque urbem tutelares deos deseruisse Livius scribit lib. 5. sed facta evocatione, cuius ritus a Sammonico Sereno lib. 5. rerum reconditarum ex Turio quodam refertur teste Macrobio: qua de re pluribus videndus est Robertus Valturius lib. 6. de re militari c. 2. post Plinium lib. 28. c. 2.

v. 60. *Hic optat Heleni coniugem.* Helenus filius Priami ex Hecuba, vaticinio clarus, quem quidam ob id a Graecis servatum dicunt, quod loca opportuna ad capiendam patriam ipsis indicasset. Idem eversa iam Troia Pyrrhum a navigatione prohibuit, caeteris abeuntibus naufragium praedixit. Quamobrem a Pyrrho non solum servatus, sed etiam liberaliter habitus est: cumque ille Oresti Hermionem eripuisset, Andromachen, quam antea iustae uxoris loco habuerat, Heleno concessit, adiecta etiam regni parte, quam Helenus fratris sui nomine Chaoniam appellavit, in qua et urbem ad similitudinem Troiae condidit, in qua et profugum Aeneam hospitio suscepit, teste Virgilio Aen. 3.

Ibid. *Hic Antenoris.* Antenor unus ex Troianorum principibus fuit, qui deleta a Graecis Troia, adiunctis sibi

Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur. Sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba, captivae, mea,
Ferite palmis pectora, et planctus date,
Et iusta Troiae facite. Iamdudum sonet
Fatalis Idae iudicis diri domus.

Henetis et Paphlagonibus in intimum maris Adriatici sinum pervenit, ubi primum exiguum condidit oppidum, quod a nomine relictae patriae Troiam appellavit. Verum cum id affluente undique multitudine perangustum videretur, paulo longius a mari urbem condidit ampliorem, quam de nomine suo Antenoriam appellavit, quamvis postea mutato nomine Patavium, mox Padua fuerit nuncupata, quod expresse docet Virg. Aen. 1. his verbis: *Antenor potuit mediis elapsus Achivis Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus Regna Liburnorum et fontem superare Timavi. Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum, atque urbi nomen dedit.* Hinc nonnulli veteris historiae auctores eum patriae suae proditorem afferunt, et Ulyssem, dissimulato habitu, intra moenia agnitum domi suae occultavisse. Illud constat, quod Graecorum legatos hospitio benigne exceperit, et reddendae Helenae a principio auctor fuerit. Obiit Patavii, ubi hodie etiam sepulchrum eius ostenditur.

v. 66. *Fatales Idae.* Ovidius et alii fere omnes scriptores Paridem in Ida monte referunt iudicasse, quam sententiam h. l. Seneca probat. Strabo autem Geogr. 15. tradit in Antandro iudicium illud fuisse celebratum. Fuit autem Ida mons altissimus Phrygiae ad Troadem spectans. Latus eius septentrionale ex angustiis Abydi usque ad Esapum et Cizzenum agrum ad Propontidem pertinet, occidentale ad Hellespontum respicit. Australe promon-

CHORUS TROADUM, HECUBA.

Chorus Iliadum cum Hecuba excidium patriae, Hectoris et Priami mortem lugentium.

Chor. Non rude vulgus, lacrimisque novum
Lugere iubes. Hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Graias hospes Amyclas,
Secuitque fretum pinus matri

---

torium facit, quod Lectum appellatur. Orientalia Idae ad Mysos declinant, abundatque mons aquis, et multa flumina ex eo descendunt, parva quidem, cum mox a mari absorbeantur, celeberrima vero propter ea, quae gesta sunt apud Ilium.

Ib. *Iudicis diri.* Proprie quasi deorum ira ad sententiam illam ferendam electi.

v. 70. *Graias Amyclas.* Huc pertinet illud Ovidii 2. de arte: *Talis ab armiferis Priameïus hospes Amyclis Candida cum rapta coniuge vela dedit.* Fuerunt autem Amyclae Peloponnesi civitas, Tyndari regia, Castoris et Pollucis patria, una ex iis urbibus, quas olim Lacedaemonii centum tenuerunt, institutis et communibus sacris pro singularum salute, quae Hecatombas ab earum numero memorabant. Nomen indidit Amyclis Lacedaemonis filius, Hyacinthi pater et Daphnis puellae, quorum matrem Diomeden Nicandri interpres nominat. In ea urbe, ut in tota fere Laconia, summa veneratione colebatur Apollo, ab eo Amyclaeus passim a poetis dictus.

v. 71 sq. *Pinus matri sacra Cybellae.* De qua Ovid. 10.

acra Cybellae.
)ecies nivibus canuit Ide,
le nostris nudata rogis;
t Sigeis trepidus campis
)ecumas secuit messor aristas;

Metam.: *Et succincta comas hirsutaque vertice pinus Grata deûm matri, siquidem Cybeleius Atys Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.* Est autem Cybele Coeli et Terrae filia, uxor Saturni, aliis nominibus Ops, Rhea, Vesta, magna mater, Dindymene et Berecynthia appellata. Cybele autem dicta putatur a Cybelo Phrygiae monte, ubi eius sacra primo creduntur instituta, quamquam Festus ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν dictam malit, quod Graecis significat in caput saltare: quo genere saltationis Galli, deae huius sacerdotes, peculiariter in sacris utebantur.

v. 75. *Sigeis campis.* Sigae urbs Troadis, Sigaeum promontorium et oppidum Troadis, Achillis sepulcro nobilitatum. Dictum σιγεῖον ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, h. e. a silendo, eo quod Hercules praemio suo a Laomedonte fraudatus, dissimulato discessu ibi se occultarit, indeque silentio magno reversus urbem repente adortus ceperit. Alii per ἀντίφρασιν Sigaeum dictum putant, quod nullum ibi unquam sit silentium, aquis se perpetuo magno cum murmure saxis illidentibus, de quo Virg. Aen. 2. Cic. lib. 5. ad Lucceium: *Mihi non solum praeconium, quod cum in Sigaeum venisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videtur.*

v. 76. *Messor aristas.* Arista pro anno. Quod et Virg. in Bucol. cum ita scribit: *Post aliquot, mea regna videns mirabor aristas.* Simile est illud Catulli: *Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem, Quam coepta est, nonam-*

Ut nulla dies moerore caret,
Sed nova fletus causa ministrat.
Ito ad planctus,
Miseramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile sequemur.
Non indociles lugere sumus.
HEC. Fidae casus nostri comites,
Solvite crinem. Per colla fluant
Moesta capilli tepido Troiae
Pulvere turpes. Paret exsertos
Turba lacertos. Veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus. Cui coniugio
Pectora velas, captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. Placet hic habitus,
Placet. Agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres.

---

que edita post hyemem. Fieri potest, ut Sophoclem imitatus fuerit. Nam apud illum ἄροτος *annum* denotat.

v. 84. *Solvite crinem.* Mos fuit Troianarum mulierum in luctu crinem solvere: unde illud Virgil.: *Et circum Iliades crinem de more solutae.* Fuit idem communis etiam Graecis. Quod ostendit noster Seneca in Herc. Fur. ubi inquit: *sed moesta venit crine soluta Megaera.* Et in Herc. Oetaeo Graecanicae mulieres inquiunt: *Et comas nullo cohibente nodo Faemina exertos feriat lacertos.* Italicis quoque et Gallicis faeminis hunc morem fuisse ostendunt Ovid. lib. 3. Fast. Livius ab U. C. l. 1. et Iul. Caesar. lib. 7. de bello Gallico.

Solitum flendi vincite morem.
Hectora flemus.
CHOR. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.
HEC. Complete manus. Hoc ex Troia
Sumsisse licet. Cadat ex humeris
Vestis apertis: imumque tegat
Suffulta latus. Iam nuda vocant
Pectora dextras. Nunc nunc vires
Exprome, dolor, tuas.
Rhoetea sonent litora planctu,
Habitansque cavis montibus Echo.

---

v. 108. *Rhoetea sonent.* Rhoetum sive Rhoetus promontorium est Troiae, in quo sepultus fuit Aiax Telamonius.

v. 109. *Habitansque cavis montibus Echo.* Echonis descriptio extat apud Ovid. lib. 3. Metam. his verbis: *Corpus adhuc Echo, non vox erat et tamen usum Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat, Reddere de multis ut verba novissima posset.* Ausonius ita eam describit: *Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo: Vocis ad extremos exanimata modos, Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis, Ultima nunc etiam verba loquentis amat.* Sed luculentior eiusdem echonis descriptio datur Epigr. 11. ad Pictorem: *Vane, quid affectas faciem mihi ponere pictor, Ignotamque oculis sollicitare deam? Aëris et linguae sum filia, mater inanis Iudicii, vocem quae sine mente gero. Extremos pereunte modos a fine reducens Ludificata sequor verba aliena meis, Auribus in vestris habito penetrabilis Echo, Et si vis similem pingere, pinge sonum.* Plin. lib. 2. cap. 44. Echonem ita describit, et rationem redditae et

Non, ut solita est, extrema brevis

---

iteratae vocis hanc affert: *Montium flexus crebrique vertices, et conflexa cubito, aut confracta in humeros iuga, concavi vallium sinus scindunt inaequaliter inde resultantem aera: quae causa etiam voces multis in locis reciprocas facit.* Lucretius lib. 4. de rerum Nat. ita de echone scribit: *Pars* (sc. vocum) *solidis allisa locis reiecta sonorem Reddit, et interdum frustratur imagine verbi, Quae bene cum videas, rationem reddere possis Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca sola Saxa pares formas verborum ex ordine reddant Palantis comites cum montes inter opacos Quaerimus et magna dispersos voce ciemus. Sex etiam septem loca vidi reddere voces, Unam cum iaceres: ita colles collibus ipsis Verba repulsantes iterabant dicta referre.* Exstat etiam insignis Echonis descriptio in Caelii Symphosii libello Aenigmatum manuscripto, quod huiusmodi est: *Virgo modesta, sacri legem bene servo pudoris, Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua, Ultro nolo loqui, sed do responsa loquenti.* Plutarch. lib. 2. de placit. Phil. refert: In Aegypti pyramidibus unam vocem intus editam quater et quinquies multiplicari. Idem lib. de Loquacitate memorat. Plin. lib. 36. c. 15. Olympiae porticum fuisse, quae quod septies vocem iteraret, ἑπτάφωνος sit appellata. Idem 16. refert: In opp. Cyzico iuxta portam, quae Thracia vocatur, turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicare, nomenque huic miraculo Echo esse a Graecis datum. Pausanias etiam Eliacor. lib. 1. tradit: In Porticu Poecile vocis emissae imaginem septies et saepius reciprocatam fuisse. Prope Lutetiam Parisiorum ad confluentem Matronae et Sequanae, non procul a vico Scharenta, vetusti alicuius aedificii, aut etiam templi cuiusdam rudera videas, ex quibus duo tantum parietes fastigiati supersunt, quorum alteri si applicitus ad alteram

Verba remittat: totos reddat
Troiae gemitus. Audiat omnis
Pontus, et aether. Saevite, manus,
Pulsu vasto tundite pectus.
Non sum solito contenta sono,
Hectora flemus.
CHOR. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata iacent. Fluit, et multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix,
Columen patriae, mora fatorum,
Tu praesidium Phrygibus fessis,

---

vocem emiseris, septies eandem diserte reddit, quemadmodum refert Petrus Boysteavus in historiis prodigiosis.

v. 124. *Mora fatorum.* Vivo Hectore Troiam capi non potuisse multi autores tradiderunt. Huc enim pertinet Virgilii illud Aen. 9. *Haud sibi cum Danais rem fato aut pube Pelasga Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.* Quantum in Hectore ad victoriam Graecorum differendam momenti positum fuerit, docet etiam Horat. cum ita scribit: *Et ademptus Hector Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.* Seneca noster in Agamemnone idem ostendit his verbis: *Sola Danais Hector et bello mora.* Exstant etiam in hanc rem ista Pentadii: *Hectore sub magno summa est mihi gloria caeso, Qui saepe Argolicas debilitavit opes. Ille interfectus subiit, me vindice, poenas, Pergama tunc ferro procubuere meo.*

Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit. Summusque dies
Hectoris idem patriaeque fuit.
Hec. Vertite planctus. Priamo vestros
Fundite fletus. Satis Hector habet.
Chor. Accipe, rector Phrygiae, planctus:
Accipe fletus, bis capte senex.
Nil Troia semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Graio
Moenia ferro; bisque pharetras
Passa Herculeas. Post elatos
Hecubae partus, regumque gregem,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Iovi victima caesus
Sigea premis litora truncus.

---

v. 126. *Tu murus eras.* Convenit cum hoc Hecubae elogio, quod Hectori iam extincto tribuit unum illorum epigrammatum, quae Maronis operibus solent subiungi, quod ita habet: *Defensor patriae iuvenum fortissimus Hector, Qui murus miseris civibus alter erat, Occubuit telo violenti victus Achillis, Occubuere simul spesque salusque Phrygum.* Hyginus autor est, Achillem, cum Hectora raptaret, exclamasse: Expugnavi Troiam.

v. 136. *Bis pharetras passa Herculeas.* Hercules in Sophoclis Philoctete ait, bis debere Troiam telis suis expugnari: *Τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς αὐτὴν χρεὼν Τόξοις ἁλῶναι.* Unde Propert. lib. 3. Eleg. 1. *Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu, Troia, bis Oetaei numine capta Dei.*

v. 141. *Truncus.* Ita Virg. Aen. 2. *Iacet ingens littore truncus.* Manilius lib. 4. Astron.: *Inque rogo Croesum,*

Ec. Alio lacrimas flectite vestras.
on est Priami miseranda mei
ors, Iliades. Felix Priamus,
icite cunctae. Liber Manes
adit ad imos, nec feret unquam
icta Graium cervice iugum.
on ille duos vidit Atridas,
ec fallacem cernit Ulyssem.
on Argolici praeda triumphi,
ubiecta feret colla tropaeis.
on assuetas ad sceptra manus
ost terga dabit; currusque sequens
gamemnonios, aurea dextra
incula gestans, laetis fiet
ompa Mycenis. Chor. Felix Priamus,
icimus omnes. Secum excedens
ua regna tulit. Nunc Elysii

Priamumque in littore truncum, Cui nec Troia rogus, quod posterius hemistichium noster poëta imitatus supra cecinit: *Ille tot regum parens caret sepulcro Priamus et flamma indiget, Ardente Troia.*

v. 156. *Mycenis.* Mycenae, arum, vel Mycena, enae, urbs Peloponnesi, quam Perseus Danaës filius extruxit, regiuncula, in qua regnavit Agamemnon, a Mycena Nympha sic appellata.

v. 158. *Elysii nemoris.* Elysium locus, ubi piorum animae habitant, ἀπὸ τῆς λύσεως, a solutione. Putabantur enim animae post solutionem vinculi corporei devenire ad Elysios campos. Hunc locum alii inferorum felicitatibus plenum, alii fortunatas insulas, alii circa lunarem circulum esse dicunt, ubi iam aër purior est.

Nemoris tutis errat in umbris,
Interque pias felix animas
Hectora quaerit. Felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumta videt!

---

v. 161. *Felix quisquis.* Apud Sueton. lib. 3. histor. Olidus ille senex Tiberius Priamum felicem censebat; *Identidem,* inquit Suetonius, *felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum extitisset.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

In Actus II. sc. 1. Talthybius inducitur exponens, quomodo post mediam noctem visus fuerit ipsi apparere Achilles, et postulare, ut Pyrrhi filii sui manibus mactetur Polyxena. Eo sacrificio placatos deos felicem navigationem Graecis concessuros.

TALTHYBIUS, CHORUS TROADUM.

TAL. Quam longa Danais semper in portu mora,
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt.
CHOR. Quae causa ratibus faciat et Danais moram,
Effare; reduces quis Deus cludat vias.
TAL. Pavet animus. Artus horridus quassat tremor.
Maiora veris monstra vix capiunt fidem.
Vidi ipse, vidi. Summa iam Titan iuga
Stringebat: ortus vicerat noctem dies:

---

v. 171. *Vicerat noctem dies.* Maior noctis pars erat peracta, quo tempore quae apparent somnia, vera veteres existimabant. Quod ostendit etiam Horat. cum ita scribit: *Post mediam noctem, cum somnia vera*, lib. 1. Sat. 10. Ovidius idem innuit, ita scribens: *Namque sub auroram iam dormitante lucerna Tempore, quo cerni somnia vera solent.* Confirmatur haec opinio ex eo, quod oniromantici nonnulli sola haec somnia digna animadversione esse

Cum subito caeco terra mugitu fremens
Concussa totos traxit ex imo sinus.
Movere silvae capita, et excelsum nemus
Fragore vasto tonuit, et lucus sacer.
Idaea ruptis saxa ceciderunt iugis.
Nec sola tellus tremuit: et pontus suum
Adesse Achillen sensit, ac stravit vada.
Tum scissa vallis aperit immensos specus;
Et hiatus Erebi pervium ad superos iter
Tellure fracta praebet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma proludens tuis
Iam, Troia, fatis stravit, aut Neptunium
Cana nitentem perculit iuvenem coma,
Aut cum inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit, et quaerens iter

---

censuerunt. Vid. etiam Ios. Scaliger in Castigat. in Tibulli lib. 3. p. 166.

v. 177 sq. *Pontus suum Achillem.* Ideo Pontus suum vocat Achillem, quia Achilles Thetidis filius fuit, Nerei nepos. Sic infra ait Achilles: Pèr nostra ituri maria.

v. 182. *Thessalici ducis*, Achillis. Alibi legitur: *Mactanda Virgo Thessali busto ducis.* : Horat. in Odis Achillem Thessalum vocat.

v. 183. *Threïcia qualis arma.* Thracum et Mysorum exercitum Telepho duce, Graecos repellentem Achilles fudit, teste Dicty Cretensi.

v. 184. *Neptunium iuvenem.* Cycnum Neptuni et Mandrodicae, vel iuxta alios Hapalae filium, de quo videndus Ovid. Metam. 10. Isacius in Lycophronem, et Theon Sophista in Encomio Achillis.

Tardus cruento Xanthus erravit vado,
Aut cum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem et Troiam trahens;
Implevit omne litus irati sonus:
Ite, ite inertes. Debitos manibus meis
Auferte honores. Solvite ingratas rates
Per nostra ituri maria. Non parvo luit
Iras Achillis Graecia. At magno luet.
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, et tumulum riget.
Haec fatus alta voce, dimisit diem,
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coëunte terra iunxit. Immoti iacent
Tranquilla pelagi. Ventus abiecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

---

v. 188. *Tardus cruento.* De eo vid. Hom. Il. φ' et respicit huc Papinius in Achilleïde his verbis: *modo crassa exire vetabit Flumina.*

v 194. *Per nostra ituri maria.* Hoc dicit Seneca communem scriptorum sententiam secutus, qua Achillem Thetidis filium fuisse arbitrabantur. Alias magna discrepantia reperitur autorum, aliis aliam matrem Achilli tribuentibus. Daimachus lib. 2. redituum Achillis matrem nominat Caloen: Staphylus in lib. de Thessalia Philomelam vocat. Tzetza scribit Chitonis filiam fuisse.

Tritonum. Triton deus fuit marinus, iuxta Acesandrum, Neptuni et Celaenus, vel secundum Numenium, in lib. de piscationib. Oceani et Tethyos, vel ex Hesiodi in Theogonia sententia, Neptuni et Amphitrites filius. Eius forma describitur apud Apollonium lib. 4. et Claud. in

PYRRHUS, AGAMEMNON, CALCHAS.

Agamemnonis cum Pyrrho iurgia super Polyxena compescit Calchas.

PYRRH. Cum laeta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles: cuius unius manu
Impusla Troia, [corruit tandem solo,
Brevi repensans] quidquid adiecit morae
[Scyros, fretumque Lesbos Aegaeum secans]

---

carm. de nupt. Honor. et Mariae. His testibus Virgilio lib. 10. Aen. et Ovidio lib. 2. Metam. est maris buccinator. Ideo Seneca fingit illum Achilli et Polyxenae hymnum cecinisse. De Tritonibus Plinius lib. 9. c. 5. ita scribit: *Tiberio principi nuntiavit Olyssiponensium legatio, ob id missa, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem ea, qua nascitur, forma.* Petrus Gillius addition. in Aelianum de quodam Tritone ita scribit: Cum degerem, inquit, in Graecia, in Albaniae provincia ad fontem prope maris littus ab accolis frequentatum, mulieres et puellae ad aquam hauriendam accedebant quotidie: quas cum Triton cerneret in littore maris latitans, sensim in terram emergebat, et clanculum ex eis, quam vellet rapiebat, et violabat: qui tandem comprehensus et in carcerem coniectus moerore confectus obiit.

v. 208. *Scyros* insula est contra Magnesiam, in mari Aegaeo, una ex Cycladibus, Lycomedis regis patria, in qua Achilles puellari habitu educatus Deidamiam Regis filiam vitiavit et ex ea Pyrrhum suscepit: quae ab hac insula et ipsa Scyria est appellata.

Ibid. *Lesbos*, hodie dicta Metelin, insula est in mari

Illo remoto, dubia quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;
Sero es daturus. Iam suum cuncti duces
Tulere pretium. Quae minor merces potest
Tantae dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum iussus, et longa sedens
Aevum senecta degere, ac Pylii senis
Transcendere annos, exuens matris dolos,
Falsasque vestes, fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens

Aegaeo, Aeolicarum urbium metropolis, quae olim universae Troadis imperium obtinuit. Ambitus eius stadiorum 100 supra 1000, a Borea in Austrum protensa 560 stadia longitudinis habens, feraci agro et multa materia ad classes conficiendas idonea. Urbes in ea fuere memoratu dignae Mitylenae, a qua nunc tota insula Mitylene vocatur, et Pyrrha in occidentali littore sita. Fuit et Eressus et Antissa cum portu, et Methymna. Dicta Lesbos ab urbis nomine, quae in ea potentissima fuit, sive a Lesbo Iapeti filio, qui in eam insulam navigavit.

v. 218. *Inhospitali Telephus.* Telephus Mysorum rex, Herculis filius ex Auge Nympha: qui cum avi iussu in sylvis expositus esset, a cerva aliquamdiu dicitur educatus. Quae res tantam futurae claritatis opinionem de eo praebuit, ut mox a Mysiae rege adoptatus sit, et regni haeres institutus. Factus itaque Mysorum rex, cum Graecos ad Troianam expeditionem proficiscentes prohibere conaretur, ne per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus est; cuius plagae cum nullum satis efficax inveniretur remedium, oraculo responsum est, fore, ut eadem hasta, qua vulneratus erat, sanaretur. Reconciliatus itaque Achilli ab eo impetravit, ut ex hastae, qua vulneratus erat, rubigine

Dum Mysiae ferocis introitus negat,

---

malagma conficeret, et vulneri suo imponeret, quo facto statim sanitatem recuperavit. Huc pertinet illud Propertii: *Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide vulnus Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.* et Q. Sereni: *Ut Larissaea curatur Telephus hasta.* Idem Ovidius et alii plerique affirmant: nempe curatum Telephum ferrugine hastae Achilleae. Unde illud quoque: *Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.* Hanc autem narrationem de sanato Telephi vulnere rubigine hastae Achillis inde confictam putant, quia syderite herba a se inventa Telephi vulnus Achilles sanavit, de qua videndus est Dioscorides lib. 4. c. 33. Plin. lib. 25. cap. 5. et Apuleius de herbarum viribus cap. 89. qui, ne quis fallatur, non est Madaurensis ille, qui de Asino scripsit, sed ab eo alius, cuius liber ab Aldo excusus exstat, et citatur etiam a Scribonio Largo ac Marcello Burdegalensi. Hinc intelligi possunt illa Claudiani: *Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis, Cuius pertulerat vires, et sensit in uno Lethalem placidamque manum, medicina per hostem Contigit, et pepulit, quos fecerat ipse, dolores.* Nec id mirum videri potest. Nam medicinam Achilles didicit a Chirone, ut testatur idem Claudianus de 3. consulatu Honorii agens his verbis: *nec ocyus hausit Achilles Semiferi praecepta senis: seu cuspidis artes, Sive lyrae cantus, socias seu disceret herbas.* Porro ab hoc vulnere Telephi immedicabilia vulnera dicuntur Τηλέφεια τραύματα, autore Paulo Aegineta lib. 4. c. 46.

v. 219. *Mysiae ferocis.* Mysia regio minoris Asiae ad Hellespontum, Troadi contermina, cuius incolae. Mysi dicti sunt, abiectissimae conditionis homines, sortisque adeo contemptae, ut cesserint in proverbium. Quoties enim hominem nullius pretii vellent denotare, Mysorum ultimum esse dicebant, ut autor est Cic. in orat. pro Flacco.

Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eandem sensit et mitem manum.
Cecidere Thebae. Vidit Eetion capi
Sua regna victus. Clade subversa est pari
Imposita celso parva Lyrnessos iugo;
Captaque tellus nobilis Briseide,
Et, causa litis regibus, Chryse iacet,
Et nota fama Tenedos, et quae pascuo

---

v. 222. *Vidit Eetion capi.* Eetion pater fuit Andromaches et socer Hectoris, qui apud Thebas Ciliciae imperabat: cum autem dicit Seneca, vidit sua regna capi, eam Ciliciae partem intelligit, cuius metropolis erat Thebae: unde est illud Ovidii lib. 13. Metamorph.: *Eetioneas implevi sanguine Thebas.* Propert. lib. 2. *Et Thebae steterant, altaque Troia fuit.* Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 14. Theben unius non plurium numero effert, Graecos secutus, cuius rei duo exempla ibidem affert: quibus ego adiungo Strabonis lib. 13. et Q. Smyrnaei lib. 3.

v. 224. *Lyrnessos,* oppidum Troadis, patria Briseidos, quam Achilles eversa urbe secum abduxit, occiso Mynete eius marito, civitatis illius principe.

v. 226. *Causa litis Chryse.* Civitates Chrysae dictae fuerunt multae, sed h. l. intelligitur urbs Apollinis prope Lemnum. Illa quo pacto causa litis fuerit regibus, docet Homerus Iliad. 1. etc.

v. 227. *Nota fama Tenedos.* Tenedos insula est inter Lesbum et Hellespontum contra Troiam a Sigeo littore XII M. passuum distans, a Lesbo 56 m. Haec prius Leucophrys appellata fuit, a nonnullis etiam Phaenice et Lyrnessus, teste Plinio lib. 5. cap. 31. In hanc ex Troade navigavit cum novis colonis Tennes Cycni filius, conditaque urbe de nomine suo Tenedon eam appellavit, a qua

Foecunda pingui Thracios nutrit greges,
Syros, fretumque Lesbos Aegaeum secans,
Et sacra Phoebo Cilla. Quid? quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Haec tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsae tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria ac summum decus:
Iter est Achillis. Sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia sileam merita, non unus satis
Hector fuisset? Ilium vicit pater,
Vos diruistis. Inclitas laudes iuvat,

---

et insula denominata est. Insula haec ante bellum Troianum florentissima fuit, in qua Graeci supremas illas, quibus Troia periit, insidias struentes sese occultarunt. Aen. 2.

v. 230. *Sacra Phoebo Cilla.* Cilla oppidum est Ciliciae non procul a Thebis Eetioneis, Apollinis Cillaei templo insigne, de quo videndus est Strabo lib. 13. Ovid. Metamorph. 3. Chrysen et Cillan vocat Apollinis urbes.

v. 231. *Vernis Caicus.* Caicus fluvius est Mysiae Pergamum praeterfluens per campum, qui Caicus nominatus in Elaiticum sinum defluxit, teste Plinio lib. 5. cap. 30. Eius meminit Livius lib. 6. et Virg. Georg. 4. hoc versu: *Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caicus.*

v. 235. *Iter est Achillis.* Simillimum est illud Claudiani in 1. Panegyr. de 1. consulatu Stiliconis: *Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit Transcurrens egit Stilico.*

v. 239. *Inclytas laudes iuvat.* Videri vult h. l. Pyrrhus imitari fortitudinem patris Achillis. Quod ut ita fuerit, lenitatis tamen et misericordiae laudem ei adimit Priamus iam iam interficiendus apud Virg. Aen. 2. his verbis: *At non ille satum, quo te mentiris.*

Et clara magni facta genitoris sequi.
Iacuit peremtus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cuius ob luctum parens
Pallente moestum protulit vultu diem,
Suique victor operis exemplum horruit;
Didicitque Achilles, et diis natos mori.
Tum versa Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne aestimas,
Etsi Mycenis virginem atque Argis petat.

---

v. 242. *Memnon.* Memnon Homero est filius Tithoni, fratris Laomedontis ex Aurora susceptus, qui cum maxime orientalium populorum copia in auxilium venit Priamo, et in pugna ab Achille, vel, ut alii tradunt, a Thessalis per insidias occisus est. Is cum in rogo cremaretur, precibus Aurorae in avem mutatus est, ex eademque pyra multae aliae aves evolarunt, quas Memnonias vocarunt: quae quotannis ex Aethiopia in agrum Iliacum dicuntur advolare, Memnonisque sepulcrum ter lustrare, deinde duas in partes divisae, rostris unguibusque concurrere et generis sui autori sanguine suo parentare: de quo videndus est Ovid. lib. 13. Metamorph. et Strabo lib. 15. Geogr.

v. 245. *Diis natos mori.* Pro *diis* legendum censet Delrio *dea*, quemadmodum vetusti codices habent: *Deae natos mori.* Nam et ante Memnonem inquit Troiano bello multi diis nati oppetierunt. Memnone vero, Aurorae filio, a se occiso, Achilles Thetidis filius, se quoque mortalem esse didicit.

v. 246. *Tum versa Amazon.* Penthesilea, quam Dares a Neoptolemo interfectam scribit. De ea vidend. Virg. Aen. 2.

v. 248. *Argis.* Argos et regionis et urbis nomen est. Unde Argi et Argivi populi, sicut Achaei et Achivi, qui Argo-

Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas?
Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenae immolasti. Solita iam et facta expeto.
AGAM. Iuvenile vitium est, regere non posse impetum.
Aetatis alios fervor hic primae rapit,
Pyrrhum paternus. Spiritus quondam truces,
Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid caede dira nobilem clari ducis

---

lici a Persis dicti, et Argolis regio omnis denique Peloponnesus praesertim Laconica Argea Straboni appellata, et Homero Helena Argea dicta. Ad Argos urbem quod attinet, fuerunt plures quam una illius nominis. Nam fuit Argos Peloponnesi civitas iuxta Athenas; fuit etiam Argos Thessaliae oppidum, quod Pelasgicon dicunt a Pelasgis; fuit eiusdem nominis oppidum in Acarnania, non longe a Mycenis, Amphilochium cognominatum: fuit aliud Apuliae oppidum a Diomede conditum; et fuit denique vetus et nobilis urbs Achaiae in Argolide, quod etiam Argos Hippium vocatum est ab equorum praestantia, qua tum temporis claruit.

v. 250. *Pelei nato.* Peleus Aeaci et Aeginae fil. qui ex Thetide genuit Achillem, ex eo Peliden dictum.

v. 253. *Iuvenile vitium est.* Quod h. l. Seneca noster de impotentia iuvenilis animi, et imbecillitate in reprimendis et domandis cupiditatibus asserit, idem tradit Isocrates de adolescentum aetate in orat. Areopag. p. 148. Videbant, inquit de Lacedaemoniis, eam aetatem (adolescentiam) turbulentissimis affectibus agitari et plurimis redundare cupiditatibus, maximeque necessarium esse, ita illam instituì, ut honestis studiis, et temperatis voluptate labo-

Aspergis umbram? noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu:

---

ribus gauderet. Convenit illud Cic. pro Caelio: *Tempus adolescentiae sua sponte infirmum aliorum libidine infestum est.*

v. 261. *Violenta nemo imperia.* Quamquam hic suis versibus sententiosis vult Agamemnon, in aliis fervorem istum iuvenile vitium esse, in Pyrrho paternum, quasi dicas, alii ab aetate hoc habent, Pyrrhus a patre, et respicit potissimum Agamemnon ad contentionem illam luculentam inter se et Achillem, de qua Homerus Il. 1. et tragici poëtae τὸ Ἀχίλλειον ἦθος Pyrrho tribuunt, simul tamen notandum est salutare monitum illius versiculi: *Violenta nemo* etc. Cui simile est eiusdem, illud in Thebaide Act. 4. *Qui vult amari, languida regnet manu, Invisa nunquam imperia retinentur diu.* Et in Oedipo 3, 1. *Qui sceptra duro saevus imperio regit Timet timentes, metus in auctorem redit.* Praeclare hoc intellexit Cic. cum ita scribit offic. 2. *Malus custos diuturnitatis metus,* et 16. aliquanto post: *Qui in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, his nihil potest esse dementius.* Nulla enim iuxta eundem eod. lib. *vis imperii tanta est quae premente metu possit esse diuturna.* Assentitur Terent. 1, 1. *Errat longe mea quidem sententia, qui imperium credat gravius esse aut stabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur;* et Sallust. in orat. 1. ad C. Caesarem de republ. ordinanda. *Equidem,* inquit, *ego cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitrer, neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum formido ex multis recidat.* Claudet hunc locum illud Livii lib. 8. *Id firmissimum longe imperium est, quo obedientes gaudent.* Nam iuxta eundem eod. lib. *Non credi potest*

Moderata durant. Quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem Deos

---

ullum populum aut hominem in ea conditione, cuius eum poeniteat, diutius, quam necesse sit, mansurum.

v. 262. *Quoque fortuna altius.* Utilissimum praeceptum revocans a superbiae et insolentiae crimine eos, qui ad aliquem dignitatis gradum evecti sunt. Iubet enim in altissima quaque fortuna modestiae et humilitati quam maxime studere. Quod idem praecipit Siracides, cum ita scribit cap. 3. *Quo maior es, hoc magis te humilia, et invenies gratiam apud Dominum.* Quod dictum velut ex composito ad verbum expressit Cicero lib. 1. Off. his verbis: *Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.* Eiusdem Cic. praeclarum est illud lib. 2. de oratore: *Est summa laus non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dedisse.* Et huc pertinet illud Publii Syri in Mimis: *Etiam oblivisci, quod sis, interdum expedit.*

v. 265. *Variosque casus tremere.* Huc pertinet illud Horat. *sperat infestis* etc.

Ib. sq. *Metuentem deos nimium faventes.* Pergit Seneca tribuere Agamemnoni tanquam personae regiae, et in maximis rebus gerendis et tolerandis versatae praeceptiones quam maxime salutares, quibus primum quidem Pyrrhum, deinde non minus caeteros quotquot sunt mortales, iubet meminisse conditionis suae, humanarum rerum et fortunae mutabilitatis, quae diu nec eundem vultum, nec eundem statum servat. Quamobrem, qui prospero fortunae statu aliquamdiu usus fuit, semper metuere debet,

Nimium faventes. Magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit
Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco,
Unde illa cecidit. Fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus, altius memet tuli:
Sed fregit illos spiritus haec, quae dare
Potuisset alii, causa, Fortunae favor.
Tu me superbum, Priame, tu timidum facis.
Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem

---

eiusdem adversitatem, et quod praeclare monet Terentius: cum res secundae sunt maxime etc. quod idem sapientissime monet Siracides ita scribens: Cum adversa fortuna uteris, spera secundam, cum secunda, metue adversam. Exemplum insigne metuentis deos nimium faventes exstat apud Herod. lib. 3. p. 208 et 207 in Amasi Aegypti rege; qui non delectatus nimia illa, qua Polycrates Sami rex utebatur, fortunae prosperitate, hanc ipsam causam statuit idoneam, cur ab amicitia bona hactenus fide cum illo culta resiliat, ne et calamitatis, quam omnino impendere Polycrati censebat, particeps esse cogeretur. Sed operae pretium ipsam narrationem, quemadmodum ab Herodoto loco iam indicato traditur, audire: Caeterum dum Cambyses etc.

v. 266. *Magna momento obrui.* Quod patet etiam ex illo, quod dici solet vulgo: Facilius esse diruere, quam aedificare; quod Isocrates ad Philippum scribens ita extulit: ὅτι οἰκῆσαι μὲν ἐστὶν ἅπαντα χαλεπὸν, διαλῦσαι δὲ ῥᾴδιον. Quo spectat dictum illud Laconis cuiusdam de Philippo, qui Olynthum diruerat, apud Plutarchum περὶ τοῦ ἀκούειν.

v. 274. *Ego esse quicquam sceptra.* Ostendit et docet Agamemnon: Imperii gerendi dignitatem nomine quidem et

Fulgore tectum nomen, et falso comam
Vinclo decentem? casus haec rapiet brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui. Ruere, et aequari solo,
Etiam arcuissem. Sed regi frenis nequit
Et ira, et ardens hostis, et victoria
Commissa nocti. Quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,

---

in speciem splendidam esse et gloriosam, sed compluribus interim difficultatibus et molestiis obnoxiam. Unde Sidon. Apollin. Epist. ad Serranum lib. 2. ep. 13. *Sententiae tali nunquam ego assentior, ut fortunatos putem, qui reip. praecipitibus ac lubricis culminibus insistunt. Nam dici nequit, quantum per horas fert in hac vita miseriarum vita felicium istorum (si tamen sic sunt pronuntiandi, qui sibi hoc nomen, ut Sylla, praesumunt) nimirum qui supergressi ius fasque commune, summam beatitudinem existimant summam potestatem, hoc ipso miseriores, quod parum intelligunt inquietissimo se subiacere famulatui.* Et in ead. epist. aliquo intervallo post: *Dicere solebat vir literatus, atque ob ingenii merita quaestorius, partium certe bonarum pars magna, Fulgentius se ex ore Petronii imperatoris maximi frequenter audisse, cum perosus pondus imperii veterem desideraret securitatem: Felicem te, Damocles, qui non uno longius prandio regni necessitatem toleravisti.* Et haec causa est, cur Diocletianus Imp. aetate iam exacta in suis hortulis consenescere in otio apud Salonas, quam administrationem Romanae Reipubl. subire maluerit; teste P. Criuito l. 1. d. h. d. c. 12.

enebraeque, per quas ipse se irritat furor,
ladiusque felix, cuius infecti semel
ecors libido est. Quidquid eversae potest
ıperesse Troiae, maneat; exactum satis
oenarum, et ultra est. Regia ut virgo occidat,
umuloque donum detur, et cineres riget,
t facinus atrox caedis ut thalamos vocem,
on patiar. In me culpa cunctorum redit.
ui non vetat peccare, cum possit, iubet.
YRRH. Nullumne Achillis praemium manes ferent?
GAM. Ferent; et illum laudibus cuncti canent;
[agnumque terrae nomen ignotae audient.
uod si levatur sanguine infuso cinis,
pima Phrygii colla caedantur gregis,
luatque nulli flebilis matri cruor.
uis iste mos est, quando in inferias homo est

---

v. 294. *Qui non vetat peccare.* Docet idem Cic. ita scribens lib. 1. offic.: *Qui iniuste impetum in aliquem facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quidem manus videtur afferre socio. Qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam aut socios deserat.* Huc spectat illud Apuleii lib. 6. de Asino aureo: *An ignoras, etiam eos, qui morituris auxilium salutare denegarint, quod contra bonos mores id fecerint, solere puniri.*

v. 301. *Quando in inferias homo.* Moris fuit apud veteres Ethnicos, sed moris perquam superstitiosi, crudelis et abominandi, in honorem interfectorum amicorum, vel etiam suorum deorum homines mactare et immolare. Ita ab Achille Patroclo, summo eiusdem amico duodecim homines in inferias impenduntur apud Hom. Il. φ. et

Impensus homini? detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli poena iubes.
Pyrrh. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos; timide, cum increpuit metus:
Regum tyranne, iamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac Veneris novae?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas retinesque, maiorem dabo,
Dignamque, quam det Pyrrhus; et nimium diu
A caede nostra regia cessat manus,
Paremque poscit Priamus. Agam. Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Saevo peremtus ense quod Priamus iacet,
Supplex paternus. Pyrrh. Supplices nostri patris,
Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen
Praesens rogavit. Tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Aiaci preces
Ithacoque mandas, clusus, atque hostem tremens.
Agam. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Interque caedes Graeciae, atque ustas rates,

Pallanti apud Virg. Aen. 10. Praeterea Pseudodiis antiquorum homines immolari non fuit insolens. Fecerunt hoc Carthaginienses et Celtae, teste Dionys. Halicarn. lib. Scythae, autore Herodoto in Melpom. Leucadii et Albani, si Straboni credimus lib. 10. et 11. Achaei et Lacedaemonii, ut scribit Pausan. in Laconicis et Achaicis, nec non Gothi, ut testantur Olaus Magnus et Ioan. Magnus in eor. historia.

v. 307. *Amore subito.* Propter Briseidem et Chryseidem hoc dicit.

:gnis iacebat, belli et armorum immemor,
evi canoram verberans plectro chelym.
YRRH. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
intus Achillis timuit: et tanto in metu
avalibus pax alta Thessalicis fuit.
GAM. Nempe iisdem in istis Thessalis navalibus
ax alta rursus Hectoris patri fuit.
YRRH. Est regis alti, spiritum regi dare.
GAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
YRRH. Mortem misericors saepe pro vita dabit.
GAM. At nunc misericors virgines busto petis.
YRRH. Iamne immolari virgines credis nefas?
GAM. Praeferre patriam liberis regem decet.

---

v. 335. *Praeferre patriam liberis.* Docet haec sententia, quantum quisque patriae debeat, illiusque salutem etiam liberorum saluti anteponendam esse. Cicero in eodem cum liberis amoris gradu patriam collocat, cum ita scribit lib. 1. offic.: *Si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sunt patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus.* Id. lib. 2. de leg. *Necesse est eam caritatem patriae praestare, qua reip. nomen universae civitatis est, pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua omnia nostra ponere et quasi consecrare debemus.* Cum hoc autem Senecae nostri dicto, quo patriae amorem liberorum etiam amorem praeferendum censent, congruit illud Plutarchi lib. An seni sit gerenda Resp. p. 792. ἡ πατρὶς πρεσβύτερα καὶ μείζονα δίκαια γονέων ἔχουσα. Et illud Scipionis Africani ad Antiochum Syriae Regem: *Patriae iura non liberis tantum, verum etiam vitae ipsi praeponuntur,* apud Iustin. lib. 31. p. 234. Apud eundem lib. 4. p. 281. hoc quoque memoriae traditur: Pharnaces Parthorum rex filiis, quos re-

PYRRH. Lex nulla capto parcit, aut poenam impedit.
AGAM. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
PYRRH. Quodcunque libuit facere victori, licet.
AGAM. Minimum decet libere, cui multum licet.
PYRRH. His ista iactas, quos decem annorum gravi
Regno subactos Pyrrhus exsolvit iugo?
AGAM. Hos Scyrus animos? PYRRH. Scelere quae fratrum caret.
AGAM. Inclusa fluctu. PYRRH. Nempe cognati maris.
Atrei et Thyestae nobilem novi domum.

---

liquit multos, praeteritis, fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium plus regno quam patrio deberi nomini ratus, potiusque patriae quam liberis consulendum.

v. 339. *Minimum decet libere, cui multum licet.* Vetat hoc dicto Agamemnon primo Pyrrhum, deinde sub persona Agamemnonis Seneca quemque sumere sibi licentiam agendi quod libet. Ita idem Seneca in Octavia 2, 2. *Id facere laus est, quod decet, non quod licet.* Quo tendunt illa Cic. pro Rabir. Posth.: *In hoc est sapientia iudicis, ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet, nec quantum sibi permissum, meminerit solum, sed etiam quatenus commissum sit.* Et orat. 13. Philip.: *Licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorum institutisque conceditur. Neque enim quod quisque potest, id ei licet, nec si non obstatur, propterea etiam permittitur.*

v. 342. *Hos Scyros animos.* Hos, inquit, animos tibi, Pyrrhe, addit regnum tuum Scyros, sc. tam vile. Tanta autem fuit inopia et humilitas Scyri, ut adagio ἀρχὴ Σκυρία originem dederit. Fuit autem Scyros insula etc. vide supra.

v. 344. *Atrei et Thyestae.* Atreus fil. Pelopis et Hippo-

AGAM. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
PYRRH. Illo ex Achille, genere qui mundum suo
Sparsus per omnem coelitum regnum tenet,
Thetide aequor, umbras Aeaco, coelum Iove.
AGAM. Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.

---

damiae, rex Mycenarum, Thyestem fratrem concubitu uxoris suae Aeropes usum exilio multavit, cui deinde revocato proprios filios, quos ex Aerope susceperat, comedendos apposuit: cuius facinoris horrore sol retrocessisse fertur, revocato ad auroram cursu. Quod ut Thyestes ulcisceretur, cum propria filia Pelopea concubuit et ex ea Aegisthum suscepit, qui Atrei filium Agamemnonem interfecit.

v. 346. *Sed nondum viro.* Non ab re hoc dictum est. Nam qui a iuvenibus procreantur, non aeque robusti aut perfecti esse solent ac illi, qui gignuntur a viris autore Arist. lib. 7. Politic. c. 16. Quare plerique viros matrimonium ante 30. aetatis annum contrahere noluerunt, ut testatur id Arist. dicto loco. Plato lib. 6. de Republ. Solon apud Philonem lib. 2. de mundi opificio.

v. 349. *Thetide.* Thetis Nerei et Doridis filia, quam cum Iuppiter pulchritudine eius captus adamaret, uxoremque ducere decrevisset, monitus est a Prometheo, ita esse in fatis, ut, quicunque ex ea nasceretur, patre maior esset futurus. Qua re audita Iuppiter a nuptiis eius abstinuit, veritus, ne quemadmodum Saturnum patrem suum regno pepulerat, ita ipse vicissim a filio coeli possessione deiiceretur. Thetidem autem postea Peleus uxorem duxit, Aeaci filius, qui Achillem ex ea suscepit. Ovid. 11. Met.

Ibid. *Aeacus.* Endeida Chironis filiam uxorem duxit, ex qua Telamonem genuit et Peleum Achillis patrem.

PYRRH. Quem nec Deorum cominus quisquam petiit.
AGAM. Compescere equidem verba, et audacem malo
Poteram domare: sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. Potius interpres Deûm
Calchas vocetur. Fata si poscunt, dabo.
Tu, qui Pelasgae vincla solvisti rati,
Morasque bellis, arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longa semitam flamma trahens
Dant signa fati, cuius ingenti mihi
Mercede constant ora, quid iubeat Deus
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
CAL. Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.
„Mactanda virgo est Thessali busto ducis;
„Sed quo iugari Thessalae cultu solent,
„Ionidesve, vel Mycenaeae nurus.
„Pyrrhus parenti coniugem tradat suo.
„Sic rite dabitur. Non tamen nostras tenet
„Haec una puppes causa. Nobilior tuo,
„Polyxene, cruore debetur cruor,

v. 365. *Sed quo iugari*, matrimonio iungi. Metaphora a bubus ducta, qui quando unum iugum subeunt, iugantur. Ea figura sic usum legimus Plautum in Curculione ita scribentem: *Iamne ea fert iugum;* et Horatium: *Nondum subacta ferre iugum valet cervice* etc.

v. 370. *Polyxena* fuit Priami filia formosissima ex Hecuba coniuge, quam Pyrrhus Achillis fil. Troia capta, ad patris sui tumulum iugulavit. Ferunt enim Achillem, cum ad Troiam bellum gereret, Polyxenam forte in moenibus conspectam adamasse, eamque sibi uxorem postulasse. Quod cum Priamus annuisset, placuit, ut in Thymbraei

„Quem fata quaerunt: turre de summa cadat
„Priami nepos Hectoreus, et letum oppetat.
„Tum mille velis impleat classis freta.

CHORUS TROADUM.

Chorus e mulieribus Troianis, tam mente, quam corpore captis, quo Achillis animam apparuisse neget, ex Epicuri sententia, quae nec Stoicorum multo sanior, stulte et (ut semel de toto Choro moneam) impie animam cum corpore interire asserit.

Verum est? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Cum coniux oculis imposuit manum,

Apollinis templum convenirent, pacis nuptiarumque foedera inituri. Quod cum rescivisset Paris, post Apollinis simulacrum se occultavit, Achillemque nihil tale opinantem sagitta interfecit. Capta deinde Troia, cum et Polyxena viva in manus hostium pervenisset, Achillis umbra Graecorum proceribus in somnis apparuit, praecipiens ut Polyxena, cuius nuptiarum praetextu erat interfectus, inferias sibi mitteretur, cuius crudelitatis ministrum Pyrrhus se praebuit. Ovid. 13. Metam.

v. 374 sqq. Dubitationem affert Chorus de animae immortalitate, de qua quaerit, an sepulto corpore superstes sit. Eam dubitationem ita tandem tollit, ut statuat, et post mortem nihil, et ipsam mortem nihil esse.

v. 376. *Cum coniux oculis imposuit manum.* Olim propinquiores quique morientium oculos claudebant: unde mater Euryali apud Virg. Aen. 9. *Nec te tua funera mater* etc. quo loco Donatus scribit, hoc moris fuisse. Ovid. lib. 3.

Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristis cineres urna coercuit;
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur? nullaque pars manet
Nostri, cum profugo spiritus halitu
Immixtus nebulis cessit in aera,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid Sol oriens, quidquid et occidens
Novit, caeruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Aetas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bis sena volant sidera turbine,

Amor. El. 9. *Hinc certe manibus fugientes pressit ocellos Mater, et in cineres ultima dona dedit.*

v. 388. *Pegaseo corripiet gradu.* Pegaseo gradu proverbialiter dicit quasi celerrimo; sic Valer. Catullus. *Non si Pegaseo ferar volatu.* Fuit autem Pegasus equus alatus ex Medusae sanguine procreatus, ita dictus ἀπὸ τῆς πηγῆς (a fonte), quod iuxta πηγάς, fontes Oceani natus sit, ubi Gorgones habitabant. Hic cum in Helicona evolasset, saxum ungula feriens aperuit, qui ex eo *Hippocrene* fons equinus est appellatus. Postea vero cum ex Pirene Corinthio fonte biberet, a Bellerophonte, qui id temporis expeditionem in Chimaeram parabat, captus est. Cumque is rerum terrestrium taedio ductus, in coelum evadere conaretur, indeque terram despiciens, timoreque perculsus e sublimi decidisset, Pegasus nihilo minus cursum servans in coelum dicitur evolasse, ibique inter sidera constitutus, Arcticum circulum spectare, pedibusque aestivo orbi adnixus, extremo ore caput Delphini tangere, et Aquarii manum dextram cervici suae adiungere.

Quo cursu properat secula volvere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hoc omnes petimus fata: nec amplius,
Iuratos Superis qui tetigit lacus,
Usquam est. Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreae disiicit impetus;
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
Velocis spatii meta novissima.
Spem ponant avidi, solliciti metum.
Quaeris, quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.
Tempus nos avidum devorat et chaos.

---

v. 395. *Ut calidis fumus ab ignibus.* Quemadmodum fumus igne exorto consumitur et evanescit, et quemadmodum nubes a vento dissipantur, perinde dicit spiritum hominis, ubi a corpore excesserit, in tenues auras vanescere. Quod convenit cum illo Sap. 3, ubi impiis hominibus non absimilis de interitu animae sententia et oratio tribuitur: Ubi vita functus est, inquiunt, homo, plane periit, nec constat de quoquam, quod ab inferis redierit. Nam flatus in naribus nostris est fumus, et sermo scintilla e corde nostro commota. Quae simul exstincta est, corpus nostrum ad nihilum redigitur, et spiritus diffunditur, tanquam fabula et spiritus, tanquam tenuis aura, dissipatur. Porro de quaestione hac: An anima sit immortalis, varie in utramque partem disserit Cic. lib. 1. Tusc. quaest.

Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animae. Taenara, et aspero
Regnum sub domino, limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

---

v. 406. *Mors individua est.* Locus qui ostendit, humanae vitae conditionem a mortis necessitate nequaquam posse separari. Iuxta illud Propert. lib. 2. El. 21. *Longius aut propius mors sua quemque manet.* Et lib. 3. El. 16. *Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo, Est mala, sed cunctis ista terenda via est.* Quo pertinent illa Horatiana lib. 1. Od. 28. *Omnes una manet nox, et calcanda semel via lethi.* Lib. 2. Od. 3. *Omnes eodem cogimur, omnium versatur urna serius, ocius sors exitura* etc.

v. 407. *Taenara.* Taenarus, ri, sive Taenara, orum, promontorium Laconicae regionis circa medium meridionalis lateris Peloponnesi quam longissime in mare procurrens, oppidum habens eiusdem nominis. In eo promontorio fauces esse credebantur ad inferos deducentes. Circa idem antrum ostendebatur, per quod Hercules ab inferis rediisse putabatur, Cerberumque vinctum ad superos traxisse: et ex eo vulgo creditum est eas esse inferorum fauces. Ibidem marmor Laconicum effodiebatur coloris viridis, quod et a loco Taenarium appellatur.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Commemorat somnium suum Andromacha uxor Hectoris de exitio imminente parvulo suo filio Astyanacti. Quod ut averteret, de consilio senis in tumulo Hectoris filium suum abscondit, ne in manus Graecorum, a quibus ad caedem poscebatur, perveniret. Is tamen Ulyssis astutia deprehensus et protractus, et a matre post ultimum complexum lamentabiliter deploratus abripi ab Ulysse, tanquam classis mora, iubetur.

ANDROMACHA, SENEX, ULYSSES.

ANDR. Quid moesta, Phrygiae, turba laceratis comas,
Miserumque tunsae pectus effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessae sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa, quodcunque accidit,
Torpens malis rigensque, sine sensu fero.
Iam erepta Danais coniugem sequerer meum,
Nisi hic teneret. Hic meos animos domat,
Morique prohibet; cogit hic aliquid Deos
Adhuc rogare; tempus aerumnae addidit.

Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere; prosperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.
Miserrimum est timere, cum speres nihil.
SEN. Quis te repens commovit afflictam metus?
ANDR. Exoritur aliquod maius e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.
SEN. Et quas reperiet, ut velit, clades Deus?
ANDR. Stygis profundae claustra, et obscuri specus
Laxantur: et, ne desit eversis metus,
Hostes ab uno conditi Dite exeunt.
Solisne retro pervium est Danais iter?
Certe aequa mors est. Turbat atque agitat Phrygas
Communis iste terror; hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendae sopor.
SEN. Quae visa portent, effer in medium, metus.

---

v. 439. *Sopor.* Varia somniorum genera ab Hippocrate in libro de insomniis referuntur. Noster soporis nomine id comprehendit, quod Thessalus Hippocratis filius in legatione *φάσμα* vocavit, Herodotus vero non semel *ὄψιν ἐνυπνίου*. Hom. Iliad. *τ. ὕπαρ, ὅτι τὸ ὄντως ὕπεστι,* ut ait doctissimus Scaliger in commentario dicti libri Hippocratis. Huiusmodi *φάσματα* sive *ὁράματα* multa refert Val. Max. et Tull. lib. 1. de N. D. et lib. 1. de Div.

v. 440. *Visa*, *ὁράματα* haec triplicia sunt, ut ait Scaliger dicto loco. Aut enim praesentem rem ostendunt, ut apud Virg. Hector Aeneae; aut praeteritam, ut Elisae Sichaeus, et Alcyonae Ceyx Ovidianus, aut futuram, ut Anchises Aeneae, et hic Hector Andromachae. It.: Boves Pharaoni, statua regi Assyriorum in sacris literis, nec non apud Claudianum umbrae Rufino. Ea pars *Χρηματισμὸς* Graecis, nostris Divinatio appellatur.

ANDR. Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellae iugum:
Ignota tandem venit afflictae quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis,
Si somnus ille est mentis attonitae stupor;
Cum subito nostros Hector ante oculos stetit:

---

v. 441. *Partes fere nox alma transierat duas.* Renatus Vegetius lib. 3. de re militari Romanos scribit noctem in quatuor partes divisisse; quae distributio ad nostrum hunc Senecae locum non videtur quadrare. Ac verisimile est Senecam hoc loco noctem in tres partes distribuisse. Nam Andromacham Graecorum captivam in graecis castris agentem facilius creditur iuxta Graecorum consuetudinem loqui, quae consuetudo traditur ab Homero Odyss. ξ. 483: *Ἀλλ' ὅτε δὴ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει.* Post mediam igitur noctem ait sibi *φάσμα* oblatum: Cui rei firmandae est illud Theocriti: *Εὐρώπῃ ποτὲ Κύπρις ἔπει γλυκὺν ἧκεν ὄνειρον Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵστατο, ἐγγύθι δ' ἠώς Ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων λυσιμελὴς πέδαᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ, Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.* Quod ante noctem almam vocat h. l. Seneca ideo facit, quia nocturna quies cibi instar homines alit, seu quia noctem siderum matrem, seu nutricem veteres dixerunt. Ex quo est illud apud Euripidem: *Ὦ νὺξ μέλαινα Χρυσέων ἄστρων τροφέ.* Et apud Tibull. lib. 2.: *Ludite, iam nox iungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.* Pro *transierat*, nonnulli codices habent *transmiserat.* Utrumque, quod ad sententiam attinet, recipi potest. Transmitto enim pro transeo satis usitatum est bonis scriptoribus. Unde Lucretius lib. 2. *Et circumvolitant equites, mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos.*

Non qualis ultro bella in Argivos ferens
Graias petebat facibus Idaeis rates;
Nec caede multa qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit;
Non ille vultus flammeum intendens iubar,
Sed fessus ac deiectus et fletu gravis,
Similisque nostro, squallida obtectus coma.
Iuvat tamen vidisse; tum quassans caput,
Dispelle somnos, inquit, et natum eripe,
O fida coniux; lateat; haec una est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit, gemis?
Utinam iaceret tota! festina; amove
Quocunque nostrae parvulam stirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit,
Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quaesivi Hectorem.
Fallax per ipsos umbra complexus abit.
O nate, magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus, unica afflictae domus,
Veterisque soboles sanguinis nimium incliti,

---

v. 447. *Non qualis ultro.* Desumpta haec sunt ex Virg. Aen. 2. *Heu mihi qualis erat* etc. vel *Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.*

v. 450. *Achille simulato*, Patroclo, qui Achillis arma induerat.

v. 453. *Squallida obtectus coma.* Iterum haec sunt ex Virgil. Aen. 6. de intentato complexu sui parentis Anchisae: *Ter conatus ibi collo dare brachia circum, Ter frustra comprensa manus effugit imago Par levibus ventis* etc.

v. 466. *Nimium incliti*, nobilis. Nam in isto significatu sumitur ab hoc nostro Seneca Herc. Fur. Act. 2. Herc.

Nimiumque patri similis: hos vultus meus
Habebat Hector; talis incessu fuit,
Habituque talis; sic tulit fortes manus.
Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,
Cervice fusam dissipans lata comam.
O nate, sero Phrygibus, at matri cito,
Eritne tempus illud ac felix dies,
Quo Troici defensor et vindex soli,
Recidiva ponas Pergama, et sparsos fuga
Cives reducas? nomen et patriae suum
Phrygibusque reddas? Sed mei fati memor,
Tam magna timeo vota; quod captis sat est,
Vivamus. Heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quave te sede occulam?
Arx illa pollens opibus et muris Deûm,
Gentes per omnes clara, et invidiae capax,
Nunc pulvis altus; strata sunt flamma omnia,
Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem
Quo lateat infans; quem locum fraudi legam?

Oetaeo Actu 4. Medea actu 3. sic interpretatur Festus, cui assentitur Servius lib. 6. Aen. qui a Graeco κλυτὸς deducit.

v. 475. *Recidiva ponas Pergama.* Imitatur iterum Seneca Virgilianum illud: *Et recidiva manu posuissem Pergama victis.*

v. 485. *Quem locum fraudi legam.* Quod hic *fraudem*, id infra *dolum* dicit cum ita inquit: *Amove testes doli.* Quo loco notandum est, non esse idem fraudem ac dolum. Nam omnis fraus dolus est, non tamen omnis dolus est fraus. Quidam enim dolus bonus est, ideo edicto Praetoris adiicitur malus lib. 1. D. de dolo malo. Fraudem

Est tumulus ingens coniugis cari sacer,
Verendus hosti; mole quem immensa parens
Opibusque magnis struxit, in luctus suos
Rex non avarus; optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremisco misera feralis loci.

---

quoque veteres delictum dixerunt, et quia iure omni delicto poena adiuncta est, fraudem etiam poenam nominarunt, ut advertit Hugo Donellus in tract. de aedilit. edicto p. 279.

v. 488. *Tumulum parens struxit in luctus suos.* Cum moriendum aliquando sibi et suis sciret Hector, te tumulo sibi suisque exstruendo mature cogitavit, prudenti consilio. Sapientes enim viri vitam suam ita instituerunt, ut mortis tamen memoriam identidem recolerent. Herod. in Euterpe tradit apud Aegyptios convivantes circumferre aliquem in loculo mortuum e ligno factum, sed pictura et opere verum maxime imitantem, ostendentemque singulis convivarum dicere: Ἐς τοῦτον ὁρέων πῖνε τε καὶ τέρπευ· ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος. Et huc pertinet praeclarum illud monitum Epicteti, cap. 28. θάνατος καὶ φυγὴ, καὶ πάντα τὰ δεινὰ φαινόμενα πρὸ ὀφθαλμῶν ἔστω σοι καθ' ἡμέραν. Μάλιστα δὲ πάντων ὁ θάνατος, καὶ οὐδέποτε ταπεινὸν ἐνθυμηθήσῃ, οὔτε ἄγαν ἐπιθυμήσεις τινός. P. Syrus in Mimis, *Male*, inquit, *vivunt, qui se semper victuros putant.* Et huc tendit praeceptum prudentissimi iuxta et doctissimi senis Ioan. Caselii, in Κρουσιάδῃ. *Sapientiae praeceptum est, ut de morte cogitemus quotidie: Credo ut cum sanctius vitam instituamus, caducarum rerum studio non adeo obstinate insistamus.*

v. 491. *Feralis loci.* Feralia, orum, veteres dixerunt diis manibus sacratam diem, a ferendis epulis in tumulum ad

SEN. Haec causa multos una ab interitu arcuit,
Credi periisse. ANDR. Vix spei quidquam est super.
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
SEN. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
ANDR. Si quaeret hostis? SEN. Urbe in eversa periit.
ANDR. Quid proderit latuisse redituro in manus?
SEN. Victor feroces impetus primos habet.
ANDR. Quid? quod latere sine metu magno nequit?
SEN. Miser occupet praesidia, securus legat.
ANDR. Quis te locus, quae regio seducta, invia
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; coniugis furtum piae
Serva, et fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate; quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? agnosco indolem.

---

coenam, quam et ipsam feralem nuncupabant, auctore Festo. Unde illud Ovid. lib. 2. Fast. *Hanc, quia Iusta ferunt, dixere Feralia, lucem.* Et Cic. lib. 8. ad Att. *Eodem die video Caesarem a Corfinio post meridiem profectum esse Feralibus.* [Feralis dies dicitur is, in quo feralia fiebant, teste Ovid. lib. 2. Fast. El. 7.] Hinc Feralis et ferale, quod accipitur pro eo, quod est dirum, exitiale, a feralibus sacrificiis. Ita usurpata legimus a bonis scriptoribus *feralis dies*, et *ferale carmen.* Hinc apud Apul. *Rogum demolirentur, coenam feralem a' tumulo ad mensam referrent.* Virg. Aen. 4. *Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri.*

v. 507. *Agnosco indolem.* Ostendit Andromache magnae indolis iudicium se in filio suo tenerae aetatis adolescente deprehendisse, quippe qui dedignaretur tam foedo et re-

Pudet timere; spiritus magnos fuga,
Animosque veteres; sume quos casus dedit.

---

moto a consuetudine hominum loco occultari. Ita de aliis generosae indolis etiam pueris memoriae proditum est, quemadmodum mature illius documenta dederint. De Hercule notum est illud, quod ancilla apud Plautum Amphitr. 4. 1. commemorat, ut primum in lucem editus est: *Devolant*, inquit, *angues iubati deorsum in impluvium duo maximi, continuo extollunt ambo capita, sed angues oculis omnes circumvisere. Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi. Ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere, metuens pueris, mihi formidans; tantoque angues acrius persequi. Postquam conspexit angues ille alter puer, citus e cunis exilit, facit recta in angues impetum, alterum altera apprehendit eos manu perniciter, puer ambo angues enecat.* Ita de Darii Persarum Regis filiolo tradit Curtius lib. 3. cap. 12. Alexandrum collo suo admovisse, puerum autem conspectu tunc primum visi Regis nil conterritum cervicem eius manibus amplexum fuisse. Motum Regem constantia pueri Hephaestionem intuentem dixisse: Quin vellem Darius aliquid ex hac indole hausisset. Iulius Caesar Scaliger in orat. funebri filioli sui Audecti memoriae habitam recenset et ipse quaedam indicia, ex quibus indolis illius praestantia et magnitudo evidenter conspici potuit, cum ita scribit: *Ad armorum fulgorem quae exhilaratio? Quae laetitiae? quae exsultatio? cum clangentes tubas ad explorandam animi firmitatem semel atque iterum admoveri iussissem, ultro in earum sinum ac fauces minusculas inserebat. Tantum abfuit, ut deterreretur; si quis esset, uti fit, obortus fletus, non cibo, non crepundiis, non munusculis aliis potius, quam venaticorum canum interventu sedabatur.*

v. 509. *Sume quos casus dedit.* Plenum enim stultitiae,

ı intuere, turba quae simus super,
ımulus, puer, captiva; cedendum est malis.
ınctas parentis conditi sedes, age,
ude subire; fata si miseros iuvant,

---

imo insaniae proximum facinus est, in adversitatibus rerum animum nihilo minus elatum gerere. Qui sapiunt, et animum et habitum ad status et fortunae suae rationem accommodant. Eam ob causam Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. fortunae et exsilii sui memor, librum suum, quem Romam mittebat, ita alloquitur: *Vade sed incultus, qualem decet exsulis esse. Infelix, habitum temporis huius habe. Nec te purpureo velent vaccinia fuco, Non est conveniens luctibus ille color, Nec titulus minio, nec cedro charta notetur, Candida nec nigra cornua fronte geras. Nec fragili geminae poliantur pumice frontes, Hirsutus passis ut videare comis. Felices ornent haec instrumenta libellos; Fortunae memorem te decet esse meae.* Bene sibi et suae saluti consuluisset Baro David Bomgartnesus Augustanus inter complices coniurationis Grimmensteinensis deprehensus, qui cum capta Gotha facultatem evadendi nactus esset, et evadere omnino ac facile potuisset, si plebeia aut lacera veste indutus in promiscua multitudine, et tanquam vulgaris miles abire voluisset, oblitus conditionis suae equum generosum et ferocem plumis undiquaque ornatum conscendit, eique insidens ita conspici maluit. Quem ut eminere prae caeteris isto habitu discedentem advertit Elector Saxoniae victor, rogavit quis esset. Atque is prodito ipsius nomine ex instituto itinere revocatus, sclopeto manuario male mulctatus, ab equo descendere iussus, in carcerem ductus et tandem capite truncatus est.

v. 510. *En intuere turba quae simus super.* Tale est Penelopes apud Ovidium. *Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor, Laërtesque senex Telemachusque puer.*

Habes salutem; fata si vitam negant,
Habes sepulcrum. SEN. Claustra commissum tegunt.
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
ANDR. Levius solet timere, qui propius timet.
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
SEN. Cohibe parumper ora, questusque opprime.
Gressus nefandos dux Cephallenûm admovet.
ANDR. Dehisce tellus, tuque coniux ultimo
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Ulysses; et quidem dubio gradu
Vultuque; nectit pectore astus callidos.
UL. Durae minister sortis, hoc primum peto,

---

v. 521. *Dux Cephallenûm*, Ulysses, et ratio appellationis haec est: quod Cephalene sive Cephalenia est insula Ionii maris a Cephale Amphitruonis socio, vel a Cephalo Deionei filio sic dicta. Eam Plinius lib. 4. cap. 12. scribit olim Molaenam dictam fuisse. De hac Strabo lib. 10. ita: Non dubitavere plerique Cephaleniam eandem et Dulichium appellare. Hinc populi Cephalenis qui Ulyssem ad bellum Troianum secuti sunt, ut est videre apud Homerum *in* Catalogo navium hoc versu: *Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους.* Silius idem indicat lib. 16. his verbis: *Saxa Cephalenum et scopulosis Neriton arvis.*

v. 527. *Hoc primum peto.* Solent, qui mala nuntiant, ante precari, ne sibi hoc imputetur. Facit id Talthybius apud Euripidem in Troadibus, ubi ita ait: *μὴ με στυγήσῃς, οὐχ ἑκὼν γὰρ ἀγγελῶ Δαναῶν τε κοινὰ Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα.* Apud Sophoclem in Antigone nuncius simili praefatione utitur, inquiens: *φράσας θέλω σοι πρῶτα*

Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra. Graiorum omnium
Procerumque vox est, petere quos feras domos
Hectorea soboles prohibet. Hanc fata expetunt,
Sollicita Danaos pacis incertae fides
Semper tenebit, semper a tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit,
Andromacha. ANDR. Vester augur hoc Calchas canit?
UL. Et si taceret augur haec Calchas, tamen
Dicebat Hector, cuius et stirpem horreo.
Generosa in ortus semina exsurgunt suos.

τἀμαυτοῦ, τὸ γὰρ πρᾶγμα οὔτ' ἔδρασ' οὔτ' εἶδον ὅστις ἦν ὁ δρῶν. Ita illud apud Terent. Eunuch. A. 5. P. *Here, primum te arbitrari, id quod res est, velim: Quidquid huius factum est, culpa non factum est mea.* L. *Quid?* P. *recte sane interrogasti: oportuit Rem praenarrasse me. Emit quendam Phaedria* etc. Apud Platonem in narratione de morte Socratis simili quadam excusatione utitur minister, qui undecim virorum nomine et iussu venenum affert, quod Socrat. bibendum erat. His enim verbis Socratem compellat: Non accusabo te, o Socrates, eo quo alios nomine accusare soleo: qui irascuntur mihi, et malum imprecantur, cum denuntio illis, hauriendum esse venenum, coactus a magistratibus. Te vero cum toto hoc tempore cognovi constantissimum simul et mansuetissimum et fortissimum virum omnium, qui unquam hoc in loco fuere, tum satis scio, non irasci mihi, sed illis, quos scis esse auctores huius rei.

v. 539. *Generosa in ortus.* Translatum hoc est ex Euripide, qui in Heraclidis Act. 2. *Δεινὸν γὰρ ἐχθροῖς βλαστάνοντες εὐγενεῖς Νεανίας τε καὶ πατρὸς μεμνημένοι λύμας.*

Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice subito celsus, et fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quae tenera caeso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, et coelo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. Est quidem iniustus dolor
Rerum aestimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella post hiemes decem,
Totidemque messes iam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac nunquam bene
Troiam iacentem; magna res Danaos movet,

Res formidanda hostibus surgentes seu germina Generosi iuvenes, et iniuriarum memores patris. Idem in ead. fabula. *Ἐχθροῦ λέοντος δυσγενῆ βλαστήματα Ἤλαυνες ἐν κακοῖσιν Infesti leonis invisos catulos non persecuta fuisses malis.* Ea vero de causa, quam hic Ulysses praetexit, scribit Stasimus: *Νήπιος ὃς πατέρα κτείνων παῖδας καταλείπει.*

v. 544. *Quae tenera caeso virga.* Hanc virgae comparationem Naso quoque non neglexit, inquiens: *Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras, Quo primum posita est tempore, virga fuit. Tunc poterat manibus summa tellure revelli; Nunc stat in immensum viribus aucta suis.* Cum autem dicit „virga par ipsa matri", arborem plantarum, quae ab eius trunco quasi pulli nascuntur, matrem vocavit, ut Virgilius. *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.* Item: *Parnassia laurus Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.*

Futurus Hector; libera Graios metu.
Haec una naves causa deductas tenet;
Heic classis haeret; neve crudelem putes,
Quod sorte iussus Hectoris natum petam:
Petissem Orestem; patere, quod victor tulit.
ANDR. Utinam quidem esses, nate, materna in manu,
Nossemque, quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quae regio; non hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus praestricta, non acri latus
Utrumque flamma cincta, maternam fidem

---

v. 563. *Praestricta.* Manus quemadmodum ferro praestringuntur, ita oculi etiam splendore praestringuntur. *Stricturae*, ait Nonius, *proprie dicuntur scintillae, quae de ferro ferventi exeunt, quod aut stricte emittantur, h. e. celeriter, aut oculos suo fulgore praestringant.*

v. 564. *Latus flamma cincta.* Veteres flammam et ignem ad exprimendum, quod volebant, quaestionibus adhibuisse, ex Martyrum historiis a Prudentio et aliis compositis constat: Item ex illo Lucretii: *verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedae.* De variis autem tormentorum, quibus cruciari noxii soliti sunt, generibus agens Cyprianus ita scribit lib. 2. *Incisae sint leges duodecim tabulis, et publico aere praefixa iura praescriptaque sint: inter ipsas leges delinquitur, inter iura peccatur: innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur. Saevit invicem discordantium rabies: interrogas? omnia repleta sunt litibus; hasta illic et gladius et carnifex praesto est, ungula effodiens, eculeus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum plura sunt supplicia, quam membra.* Isidorus lib. 5. Etymol. cap. 27. *Ungulae dictae,* inquit, *quod effodiant; hae et fidiculae: quia his rei in eculeo torquentur,*

Unquam exuissem. Nate, quis te nunc locus,
Fortuna quae possedit? errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriae vapor
Corripuit artus? saevus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis ferae
Morsu peremtus pascis Idaeas aves?
UL. Simulata remove verba; non facile est tibi
Decipere Ulyssem. Vicimus matrum dolos,
Etiam Dearum; cassa consilia amove.
Ubi natus est? ANDR. Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? unum quaeris; ego quaero omnia.

---

ut fides inveniatur. Eculeus autem dictus quasi extendat. Papius et in Dictionario scribit: Fidiculae sunt ungulae, quibus torquentur in eculeo appensi. Ex quo apparet, ungulas et fidiculas idem prorsus fuisse. Observatum est autem hoc fere ordine egisse in cruciatibus admovendis veteres, ut primo reum in eculeo extenderent, deinde fidiculas, postremo ignem et flammam adhiberent. Patet hoc ex Prudentio in hymno de Eulalia, ubi non fidiculae post flammam, sed flamma post ungulas lateri et stomacho applicatur: et in hymno de S. Vincentio Praefectus iubet vinctum retortis brachiis sursum ac deorsum extendi in eculeo: deinde ungulis extremum dissecari. Q. Curtius quoque scribit lib. 6. Philotam post fidiculas lampadibus ardentibus tortum fuisse. Suetonius Tib. 62. *Excogitaverunt inter genera cruciatus, ut repente veretris deligatis fidicularum simul urinaeque tormento distenderet.*

v. 572. *Decipere Ulyssem.* De Ulyssis astutia multa passim apud scriptores tum graecos tum latinos reperiuntur. De eo sunt illa Homeri Il. γ. *Εἰδὼς παντοίους τε δόλους καὶ μήδεα πυκνά* et Odyss. α. *πολλῶν δ᾽ ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.*

UL. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.
ANDR. Tuta est, perire quae potest, debet, cupit.
UL. Magnifica verba mors prope admota excutit.
ANDR. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare; nam mori votum est mihi.
UL. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
ANDR. Propone flammas, vulnera, et diras mali
Doloris artes, et famem, et saevam sitim,

---

v. 581. *Morte cruciatu.* Veteres codices habent *mortis cruciatu.* Quae lectio videtur verior. Quid enim attineret, si sententiam spectes, mortem minari mori volenti: mortis vero cruciatum minari h. e. minari per cruentos cruciatuum modos se enecaturum convenientius est.

v. 584. *Necessitas plus posse quam pietas solet.* Maximam necessitatis vim esse multi auctores prodiderunt: Unde illud apud Aeschylum in Prometheo vincto *Τὸ τῆς ἀνάγκης ἐστ᾽ ἀδήριτον σθένος* et apud eundem: *Τέχνη δ᾽ ἀνάγκης ἀσθενεστέρα μακρῷ.* Tale est illud Euripidis *Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον:* Et Simonidis: *Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.* Quo pertinet illud Thaletis apud Laërtium *ἰσχυρότατον ἀνάγκη· κρατεῖ γὰρ πάντων·* Et Labieni Mimi: *Necessitas (cuius cursus transversi impetum voluerunt multi effugere, pauci potuerunt) qui me detrusit pene extremis sensibus:* Sallust. in bello Catilin. *Necessitudo etiam timidos fortes facit.* Cui affine est illud Livii: *Necessitate, quae ultimum ac maximum telum est, fortiores estis.* Et Curtii lib. 5. *Ignaviam quoque necessitas acuit, et saepe desperatio spei causa est.*

v. 586. *Famem.* Famis, teste Menandro, dolor maximus

Variasque pestes undique, et ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris caeci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
UL. Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere parvis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem; bella Telemacho paras.
ANDR. Invita Ulyssi gaudium ac Danais dabo.
Dandum est; fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete, Atridae; tuque laetifica, ut soles,
Refer Pelasgis. Hectoris proles obiit.
UL. Et esse verum hoc qua probas Danais fide?
ANDR. Ita quod minari maximum victor potest,
Contingat, et me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Ut luce caret, ut inter exstinctos iacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
UL. Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
Solidamque pacem laetus ad Danaos feram.

---

est. Unde Cic. lib. 5. ad Att. Fame, scribit, nihil miserius esse. Hom. Odyss. μ. πάντες μὲν στυγεροὶ θανατοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι· Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν, et idcirco propter famem licet patri suos filios vendere, ut tradunt iurisconsulti.

v. 588. *Carceris caeci.* Virg. *Respiciunt clausae tenebris et carcere caeco.*

Quid agis, Ulysse? Danaidae credent tibi?
Tu cui? parenti; fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandae mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil maius timent.
Fidem alligavit iureiurando suam.
Si peierat, timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Ulyssem; veritas nunquam perit.
Scrutare matrem; moeret, illacrimat, gemit,
Et huc et illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis haec timet, quam moeret; ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat saeva, praecipitem datum
E turre, lapsis sola quae muris manet.
ANDR. Me liquit animus, membra quatiuntur, labant,
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
UL. En tremuit; hac, hac parte quaerenda est mihi.
Matrem timor detexit, iterabo metum.
Ite, ite, celeres, fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicunque latitat, erutam in medium date.
Bene est; tenetur; perge festina, attrahe.
Quid respicis, trepidasque? iam certe perit.
ANDR. Utinam timerem! solitus ex longo est metus.
Dediscit animus sero, quod didicit diu.

---

v. 636. *Dediscit animus sero.* Ostendit hic versus, longi temporis consuetudinem, moresque ea confirmatos non facile vel mutari vel deponi. Quod ipsum pulchra simi-

Ul. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit; nec potest vatem sequi
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus aequetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda sedibus sacris manus.
Andr. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:
Hinc natus, illinc coniugis cari cinis.
Pars utra vincet? testor immites Deos,
Deosque veros, coniugis manes mei,

---

litudine declarat Plutarch. in περὶ παιδῶν ἀγ. his verbis: *Οἱ πολὺν χρόνον δεθέντες, κἂν λυθεῖεν ὕστερον, ὑπὸ τῆς πολυχρονίου τῶν δεσμῶν συνηθείας οὐ δυνάμενοι βαδίζειν ὑποσκελίζονται.* Cic. lib. 1. Ep. ad Q. F. *Cum in omni natura, tum iam in nostra aetate difficile est mutare animum, et quod est penitus insitum moribus, id subito evellere.* Quo pertinet illud Erasmi in Colloq. Francisc. Res est adeo violenta consuetudo, ut non sit huic aut illi liberum mutare, quod receptum est.

v. 644. *Sedibus sacris*, hoc est, sepulchro. Nam sepulchra eorumque iura sacra fuisse antiquis docet Paulus Manutius in lib. de legib. et Caelius lib. 9. antiq. lect. et patet ex multis legibus per totum pene titulum D. de relig. et sumptibus funerum, adeo ut mortuum in locum suum purum inferendo locus ille religiosus factus nullius efficiatur, sic ut eius dominium nemo vindicare queat: Ius tamen eius ad illum, in cuius fundo est sepulchrum vel inferentem eiusque haeredes omnemque familiam pertinet.

Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te; vivat, ut possit tuos
Referre vultus; prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disiecta vastis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandae deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero, perpetiar, feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Iactetur Hector; hic suam poenam potest
Sentire; at illum fata iam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem poenae extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.
Erras; utrinque est Hector. Hic sensus potens,
Forsan futurus ultor exstincti patris.
Utrique parci non potest; quidnam facis?
Serva e duobus, anime, quem Danai timent.
UL. Responsa peragam; funditus busta eruam.
ANDR. Quae vendidistis? UL. Pergam, et e summo aggere

---

v. 654 sqq. *Poteris nefandae etc. potero, perpetiar, feram.* Ponit h. l. nobis ante oculos animum Andromaches supra sexum virilem et imminentis filio mortis metum intrepido animo sustinentem. Quo loco admonendi estis de simili, non quidem mulieris, sed viri in acerbissimo filii casu, fortitudinis exemplo. Id vobis commemorabo verbis Lipsii, qui in Monitis et Exemplis suis politicis. c. 7. Alfonsi Peresii Gusmanni in Hispania Boetica etc.

v. 667. *Quae vendidistis.* Videtur hoc velle Andromache dicere: Cum semel Priamo Hectoris patri venditus sit locus sepulchri, in quo conditus fuit Hector, perquam

Traham sepulcra. Andr. Coelitum appello fidem,
Fidemque Achillis. Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. Ul. Tumulus hic campo statim
Toto iacebit. Andr. Fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum; templa violastis, Deos
Etiam faventes; busta transierat furor.
Resistam; inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires; qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis Deo
Percussa Maenas, entheo silvas gradu

---

iniquum et crudele facinus videtur, id sepulchrum turbare et eruere. Vendiderant tamen Graeci Priamo non ipsum sepulchrum, sed locum sepulchro aedificando destinatum h. e. non aedificium, sed solum, ut loquuntur Iureconsulti, quorum superficies alia est a superficie mathematicorum, nempe lata extremitate corporis. Iurisconsultis enim superficies est terrae superior pars, faciesque cuiusque rei, quae oculis cernitur. Auctore Vaconio lib. 2. de clar. iur. c. 82. De hisce videndus est Brissonius de verb. significat. lib. 17. p. 558 et 559. Scaliger in Idaea cap. 5.

v. 672. *Deos etiam faventes.* Propter Palladem hoc dicit, in cuius aede Aiax Oïleus Cassandram stupraverat.

v. 675. *Qualis Argolicas ferox Turmas Amazon stravit.* Ea fuit Penthesilea Amazonum regina, quae teste Iustino 2. Orithyiae successit in regno: eiusque Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium adversus Graecos ferret, magna virtutis documenta extitere. De ea sic Virg. Aen. I. *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet Aurea subnectens exsertae cingula mammae Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.*

v. 677. *Deo percussa Maenas entheo.* Maenades eaedem sunt, quae Bacchae h. e. mulieres insanientium ritu Bacchi or-

Armata thyrso terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit; in medios ruam,
Tumuloque cineris socia defenso cadam.
Ul. Cessatis? et vos flebilis clamor movet,
Furorque cassus feminae? iussa ocius
Peragite. Andr. Me, me sternite heic ferro prius.
Repelle Avernum; rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est; arma concussit manu.
Iaculatur ignes; cernitis, Danai, Hectorem?
An sola video? Ul. Funditus cuncta erue.
Andr. Quid agis? ruina mater et natum et virum
Prosternis una; forsitan Danaos prece
Placare poteris; conditum elidet statim

---

gia celebrantes, dictae a graeco μαίνεσθαι, quod significat *insanire*.

v. 678. *Armata thyrso.* Thyrsus vulgo dicitur cuius libet herbae caulis: sed h. l. notat hastam aculeatam hederis obtectam, quam in orgiis Bacchicis quatiebant. Inde Bacchus Thyrsigerus appellatus est: ex quo natum est postea Proverb. *Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι* etc.

v. 681. *Repelle Avernum.* Avernus locus Campaniae prope Baias, quem Plutoni dicatum et inferorum limen esse rudis vetustas credidit. Dictus quasi ἄορνος h. e. avibus carens, sive quem aves supervolantes gravi eius odore enecarentur, sive quo sulphureae exhalationes aërem usque adeo extenuarent, ut avis sustinere non posset. Unde illud Virg. Aen. 6. *Quem super* etc. *unde locum Graii* etc. Vox Averni capitur plerumque pro ipso inferorum loco vel propter foetorem, vel propter Necromantiam, quae ibi exercebatur.

Immane busti pondus; intereat miser
Ubicunque potius, ne pater natum obruat,
Prematque patrem natus. Ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur quodcunque, fortunae datur.
Sic te revisat coniugis sanctae torus,
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta! sic te iuvenis excipiat tuus,
Et vota vincens vestra felici indole,
Aetate avum transcendat, ingenio patrem!
Miserere matris; unicum afflictae mihi
Solamen hoc est. Ul. Exhibe natum, et roga.
Andr. Huc e latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miserae.
Hic puer, hic est terror, Ulysse,
Mille carinis. Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora, nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna iubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique senis iura per omnes
Inclita terras; excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuae.
Vidit pueri regis lacrimas
Et Troia prior, parvusque minas

rucis Alcidae flexit Priamus.
le, ille ferox, cuius vastis
iribus omnes cessere ferae,
ui perfracto limine Ditis
aecum retro patefecit iter,
ostis parvi victus lacrimis,
ıscipe, dixit, rector, habenas,
atrioque sede celsus solio,

---

v. 730. *Patrioque sede celsus solio.* Cum Hercules iuveni Priamo sive optat sive permittit, ut patris sui regis decedentis et rebus humanis exempti locum et regnum occupet, videtur sane eo ipso statuere, aequum esse, ut filii parentibus ad honoris aliquem gradum sublatis succedant, si modo non omnino indigni dignitate et successione patria videbuntur, aut nihil iustae et gravis causae interveniat, cur paternae cathedrae successio adimenda filiis videatur. Quaeri igitur per hanc occasionem fortasse non inconvenienter potest: An aequum iustumque sit, filios parentibus dignitate praeditis, ubi decesserint, succedere, et eundem dignitatis locum occupare. Quae quaestio cum et non parvi momenti sit et ita comparata, ut omnino, quid de ea sentiendum sit, utile sit scire, praesertim animis rudioribus et imperitis, excutiendam eam, quantum quidem huius loci et instituti nostri ratio permittit, sumemus. Primum igitur nemo sanae mentis negaverit, *aequum esse, ut publice bene meritorum liberis publice gratia referatur.* Quod observatum legimus ab optimis quibusque et maxime moratis civitatibus. Hinc Athenienses, teste Aristide in Panathenaico p. 91. inter alia sanxerunt, ut qui pro patria obiissent, cum ipsi quotannis publice laudarentur, tum eorum liberi usque ad pubertatem de publico alerentur, postea domum paternam quisque cum

Sed sceptra fide meliore tene,
Hoc fuit illo victore capi.

---

integra armatura remittendi. Huius generis et relatae filiis gratiae propter paterna merita exemplum huiusmodi refert et Iustinus lib. 27. *Cum obsideri Beronicem cum parvulo filio nuntiatum civitatibus Asiae esset, recordatione paternae maiorum dignitatis eius et casum tam indignae fortunae miserantes, auxilia ei omnes misere.* Idem lib. 12. tradit: *si quorum patres in exercitu Macedonico cecidissent, nihilo minus pupillos stipendia patrum traxisse.* Apud Tac. lib. 1. Annal. Germanicus Caesar, cum ei a duabus legionibus vis intentaretur, in oratione, qua illos ad officium revocare conatur, merita maiorum in memoriam illis redigit. Ita enim inter alia eos compellat: *Nos ex Iulio et Augusto ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat: primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot praeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis?* Hactenus Tacitus. Praeterea si ad filios et nepotes non debet redundare fructus meritorum avitorum et paternorum, cur nobiles habentur in pretio propter maiorum res gestas, etiamsi ipsi nihil magna laude dignum gesserint, aut gerendi occasionem habuerint. Etiam servi fidelis filio herus videtur benefacere potius debere, quam externo. Ostensum igitur fuit hactenus, aequum omnino esse, ut filii, nepotes et posteri laudatorum parentum exspectent et capiant fructum illius fidei, quam ipsorum maiores in obeundo officio praestiterunt, et diligentiae quam adhibuerunt ab iis, qui illorum virorum adhuc et superstitum opera usi sunt. Id autem qui aequum esse agnoscunt, concedent etiam facile alterum, id fieri decere ut primum ad eam rem occasio, eaque quam commodissima et honestissima fuerit. Quod si igitur quis ornandi

'iscite mites Herculis iras.
.n sola placent Herculis arma?

---

bene meritorum posteros occasio arripienda est; nemo negare potest, nec eam omittendam, qua filii in parentum, nepotes in avorum, posteri in maiorum decedentium locum surrogari possunt. Quemadmodum autem proxima et maxime conspicua ratio ornandi ac promovendi bene meritorum filios ea est, qua in successionem officii paterni recipiuntur, ita ea utendum esse, quum primum se obtulerit, ab iis, penes quos officii conferendi potestas est, facile constat. Id enim et honorificum et aequitati maxime consentaneum. Cur enim beneficium differant? Cur paternorum meritorum gratitudinem filiis declarandi occasionem in aliud tempus reservent, cum ea iam uti liceat, aut quid boni sperandum est ab iis deinceps, qui occasione ornandi aut iuvandi, qua uti statim possunt, uti tamen nolint, et futuram eamque incertam, propter vitae humanae utrinque instabilitatem, conditionem exspectare iubeant. Eamque ob causam videmus, inde ab ultima antiquitate observatum esse a cordatis et recte sentientibus hominibus, ut filii paternae dignitatis et munerum tam politicorum quam ecclesiasticorum participes redderentur, iisque decedentibus si modo non omnino indigni aut inepti censerentur, absque omni dubitatione sufficerentur. Quod tametsi nemini dubium esse potest, quippe quod etiamnum quotidie observari videmus et ex historia sacra cum primis illa regum Israelitarum et Iudaicorum successione haereditaria satis elucet, tamen unum atque alterum praeterea exemplum maioris fidei faciendae causa adiiciemus. Erichthonius Atheniensium rex, a Cecrope, qui masculis liberis orbus discesserat, haereditatem et regnum acceperat. Hinc omnes eum secuti non pauci numero opes et imperia per successionem suis liberis reliquerunt, teste

Iacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex, vitamque petit.

Isocrate in Panathenaico p. 258. Aridaeo, qui ex Alexandro genitus erat, haereditatem regni destinari volebat Meleager apud Curt. lib. 10. c. 7. Exstincto in Sicilia Dionysio Tyranno, in locum eius milites maximum natu ex filiis eius nomine Dionysium suffecere, teste Iustino lib. 21. Pompacii tertii Parthorum regis, filius maior Pharnaces, more gentis, haeres regni fit, teste eodem Iustino eod. lib. Nicocles apud Isocratem in Nicocle testatur se *ἔχειν τὴν ἀρχὴν οὐ παρανόμως, οὐδ᾽ ἀλλοτρίαν, ἀλλ᾽ ὁσίως καὶ δικαίως, καὶ διὰ τοὺς ἐξ ἀρχῆς προγόνους καὶ διὰ τὸν πατέρα.* Romulus Sylvius a patre accepto imperio regnat, Aventino, fulmine ipse ictus, regnum per manus tradidit, teste Livio lib. 1. Sane Tiberius apud Tacit. lib. 6. Annal. p. 213. metuebat, si extra domum successor quaereretur, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verteret. De successione Ptolemaeorum Aegypti regum videndus est Strabo lib. 17. Geog. p. 557. Ea successio etiam apud inferioris ordinis homines locum habuit. Ita enim de Pompeii filio Cic. Philipp. 13. p. 248. *Mihi numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluisse, ut Cn. Pompeii filius posset et dignitatem et fortunas patrias recuperare.* Apuleius in Apologia p. 467. Patrem habui loco principe duumviralem, cunctis honoribus perfunctum, cuius ego locum in ea republica exinde ut participare curiam coepi, nequaquam degener, pari spero honore et existimatione tueor. Et de politicorum quidem munerum successione haec dixisse hactenus sufficiat. Cum autem constet, et quidem ex historia sacra potissimum: Successionem istiusmodi valuisse non minus in ecclesiastico quam politico vitae genere, de ea quoque paucis agemus. Augustinus lib. 2. retract. Filios, inquit, sacer-

Regnum Troiae, quocunque volet,
Fortuna ferat.

ULYSSES, ANDROMACHA, ASTYANAX.

Precibus minas et diras miscet Andromache, Ulyssem orans, nec exorans.

UL. Matris quidem me moeror attonitae movet:
Magis Pelasgae me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
ANDR. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hae manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus Troes, ut cuiquam metus
Possimus esse. Spiritus genitor facit?

---

dotum defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit. Eamque ob causam eam successionem, qua filii in parentum suorum sacerdotum demortuorum locum sufficiebantur legitimam vocat, cum ita scribit de Ioh. Baptistae Postillae Evang. P. 3. p. 356. Iohannes relinquit successionem legitimam patris. Ioan. Caselius epist. ad Ern. Volcenarium Ecclesiasten Willershusanum de Henr. Gittelio scribit, quod censuerit, nihil esse aequius, quam in dignitate patri succedere parem filium. Subiungit paulo post suum iudicium ipse Caselius et consuetudinem veteris Ecclesiae idem statuentis et observantis. Neque dubito, inquit, idem statuisse Theologos, et servare hanc legem, ut aequissimam, non incognitam veteri Ecclesiae, ut filius patri surrogaretur, qui patris vestigiis institisset.

Sed nempe tractus. Ipse post Troiam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si poena petitur, quae peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.
Servire liceat. Aliquis hoc regi negat?
UL. Non hoc Ulysses, sed negat Calchas tibi.
ANDR. O machinator fraudis, o scelerum artifex,
Virtute cuius bellica nemo occidit,
Dolis et astu maleficae mentis iacent
Etiam Pelasgi; vatem et insontes Deos
Praetendis? hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Iam solus audes aliquid, et claro die.
UL. Virtus Ulyssis Danaidis nota est satis,
Nimisque Phrygibus; non vacat vanis diem
Conterere verbis; ancoras classis legit.
ANDR. Brevem moram largire, dum officium parens
Nato supremum reddo, et amplexu ultimo
Avidos dolores satio. UL. Misereri tui
Utinam liceret! quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus; arbitrio tuo
Implere lacrimis. Fletus aerumnas levat.

---

v. 756. *Etiam Pelasgi.* Iphigenia, Palamedes, Aiax Telamonius.

v. 762. *Anchoras classis legit.* Delrio affirmat omnes veteres libros habere *legat.*

v. 768. *Fletus aerumnas levat.* Constat id etiam Ovidii testimonio, cuius hic satis notus est versiculus: *Expletur lacrymis* etc. Sed et ipse Seneca in Agam. 3. 2. *Magis exurunt quos secretae lacerant curae, Iuvat in medium de-*

ANDR. O dulce pignus! o decus lapsae domus!
Summumque Troiae funus! o Danaûm timor!
Genitricis o spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar: vota destituit Deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; iura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes iugum;
Non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenera parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris; nec stato lustri die
Solemne referens Troici lusus sacrum,

---

flere suos. Plin. Caecilius lib. 8. Ep. 16. audet etiam affirmare, esse quandam dolendi etiam voluptatem, praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrymis tuis vel laus sit parata vel venia. Hieronymus in libris de subtilitate scripsit: Nonnullis lethale fuisse fletum continere neque dolori suo indulgere.

v. 771. *Cui demens ego.* Haec vota Andromachae conveniunt, quae ubique fingitur mulier virilis animi, et nomini suo respondens. Talia etiam Theodosius Honorio apud Claud. lib. 3. de cons. Honorii. Nec aliena sunt, quae filio suo Telamonius Aiax optat apud Sophoclem in Aiace flagellifero. Sed quae sequuntur, muliebria sunt, iis tamen quae nutricula Flacci lib. 1. epist. alumno suo optat nonnihil graviora.

v. 781. *Troici lusus.* Id est ludorum, qui postea Troiani dicti fuerunt et a Virg. Aen. 5. et Suetonio lib. 1. describuntur. Deplorat autem h. l. Andromacha miseram illam conditionem, quam subire necesse erat Astyanacta filium

Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dira tristius lethi genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. Ul. Rumpe iam fletus parens.

---

suum, quippe cui e tumulo ad caedem protracto omnibus bonis carendum erat, quibus vivum et superstitem perfruiturum spes erat. Qualis deploratio fortunae solet esse eorum, quibus aut vita aut patria exeundum est. Ita Virgilius sub persona Meliboei exilium sibi indictum deplorat Ecloga 1. his versibus: *Ite meae (quondam felix pecus) ite capellae. Non ego vos posthac* etc. *Carmina nulla canam, non me pascente capellae Florentem cytisum* etc.

v. 784. *Concitos cornu modos.* Phrygios modos, de quibus *loquitur*, merito concitos nominat, quia tam erant concitati, ut iis homines ad furorem, non ad hilaritatem commoverentur, siquidem Aristoteli lib. 8. Polit. et Galeno lib. 5. Sententiar. Hippocratis et Platonis credimus.

v. 785. *Prisco saltatu.* Phrygio, de quo ait Euripides in Troadib. λιβὺς τε λωτὸς ἐκτύπει Φρύγιά τε μέλεα· παρθένοι δ' ἀέριον ἀνὰ κρότον ποδῶν βοάν τ' ἔμελπον εὔφρονα.

v. 786. *O morte dira tristius lethi genus.* Oedipi actu 1. dixit idem hic noster Seneca: *O dira novi facies lethi Gravior letho:* sic Martialis: *Tristius est letho lethi genus.* Ovid. lib. 1. Trist. El. 2. in descriptione periculosae navigationis, quae sustinenda ipsi erat in exilium eunti: *Non lethum timeo* etc.

Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
ANDR. Lacrimis, Ulysse, parva, quam petimus, mora est.
Concede, parvos ut mea condam manu
Viventis oculos; occidis parvus quidem,

---

v. 791. *Ut mea condam manu viventis oculos.* Pari modo Euryali mater apud Virg. Aen. 9. queritur, sibi, filio peregre occiso, ereptam facultatem componendi oculos filii morituri his verbis: *Non te sub tanta pericula missum Affari extremum miserae data copia matri? Heu terra ignota, canibus date praeda Latinis Alitibusque iaces, nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.*

v. 792. *Occidis parvus quidem, sed iam timendus.* Satis innuit his verbis Andromacha, quod et Ulysses metuebat: Filium suum esse tam generosae indolis, ut quieturus non videatur, sed dignum aliquid sua indole et patriis moribus, sive in ulciscendis hostibus, sive rebus novis moliendis ausurum. Cuiusmodi indolis notae et indicia etiam in aliis praestantibus viris inde a prima aetate animadversa sunt, unde factum est, ut de illis mature e medio tollendis cogitatum sit. Hinc est, quod Sylla, cum magnae et praeclarae indolis documenta in Iulio Caesare adhuc puero observasset, Romanos hortari solitus est: Caverent praetextatum puerum. Ex quo etiam est quod Plutarchus in vita Caesaris de eius invidis memoriae prodidit; eos existimasse quidem, opes Caesaris deficientibus sumptibus brevi evanidas fore eamque ob causam securos illum inclarescere permisisse: sero autem ubi iam evasissent ingentes et praevalidae, atque aperte in rerum mutationem coepissent erumpere, animadvertisse, nullum esse censendum rei alicuius parvum exordium, quod non

Sed iam timendus. Troia te exspectat tua:
I, vade liber, liberos Troas vide.
Ast. Miserere, mater. Andr. Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa praesidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuvencus applicat matri latus:
At ille saevus matre summota leo
Praedam minorem morsibus vastis premens
Frangit vehitque: talis e nostro sinu
Te rapiet hostis; oscula et fletus, puer,
Lacerosque crines excipe, et plenus mei
Occurre patri; pauca maternae tamen
Perfer querelae verba: Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Graio pateris Andromachen iugo,

---

illico grande reddat continuatio. Attexatur exemplum filii Mustaphae Solymanni nepotis, iussu Solymanni e vivis sublati.

v. 794. *I, vade liber, liberos Troas vide.* Id videtur gratulari sibi mater Astyanactis, quod, cum omnino filio carendum sit, exploratum habeat, quod morte praeventus in servitutem iam abduci non possit, quod vita donato certe imminere et metuendum esse videbatur. Gratulatur sibi idem Creusa Aeneae coniux, cuius imago marito oblata inter alia hoc ipsi significat his verbis Virg. Aen. 2. 785: *Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo.*

v. 805. *Si manes habent curas priores.* Ita Cic. Epist. illa querula ad Octavium: *si quid illae maiorum nostrorum sepultae reliquiae sapiunt, si non una cum corpore sensus omnis uno atque eodem consumptus est igni.*

Crudelis Hector? lentus et segnis iaces?
Rediit Achilles. Sume nunc iterum comas,
Et sume lacrimas, quidquid e misero viri
Funere relictum est. Sume, quae reddas tuo
Oscula parenti. Matris hanc solatio
Relinque vestem. Tumulus hanc tetigit meus,
Manesque cari; quidquid heic cineris latet,
Scrutabor ore. UL. Nullus est flendi modus.
Abripite propere classis Argolicae moram.

CHORUS TROADUM.

Asportandae Troades in varia Graeciae loca, prout sorte Achivis dispertitae contigerant, in quamcunque tamen Graeciae partem abduci praeoptant, quam in Spartam, Mycenas, et Ithacam, Helenae, Agamemnonis, et Ulyssis patriam.

Quae vocat sedes habitanda captas?
Thessali montes, et opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie? meliorque foetu
Fortis armenti lapidosa Trachin?

---

v. 820. *Aptior Phthie.* Phthia urbs fuit Thessaliae patria Achillis.

v. 821. *Lapidosa Trachin.* Trachin, inis, Straboni oppidum est in finibus Phthiotidis ad Oetam montem et Thermopylarum angustias, a loci asperitate nomen habens, cum alio nomine ab Hercule conditore Heraclea dicatur, teste Plinio lib. 4. c. 8. In hac urbe Ceyx regnavit Alcyones maritus, quem poëtae idcirco Trachinium cognominant. Dicitur alio nomine Trachina: et ab hac Sophoclis tragoedia Trachiniae dicta est.

An maris vasti domitrix Iolcos?
Urbibus centum spatiosa Crete?
Parva Gortyne, sterilisque Tricce?

---

v. 822. *Iolcos* oppidum est Magnesiae (quae est regiuncula Thessaliae ab ortu annexa) inter Pelion et Ossam montes. Ea h. l. a Seneca maris domitrix dicitur propter Iasonem Argonautarum ducem.

v. 823. *Urbibus centum spatiosa Crete.* Creta, Cretae, vel Crete, is, vulgo *Candia* hodie dicta, insula est in medio Ponto, centum urbium fama clara, unde a Graecis ἑκατόμπολις appellatur, quae, ut scribit Strabo, ad septentrionem Aegaeo mari alluitur, simulque Cretico pelago, ad Austrum Afro, alias Libyco, ad occidentem Aeginam et Cytheram spectat, ad orientem Carpathum. Habet in longitudine 279 millia passuum, in latitudine 50 millia. Circuitus eius 1589 millia passuum complectitur. Insignes in ea urbes sunt Gortyn Cydonia, Gnossus Minois regis et Strabonis Cosmographi patria. Insula est optimi vini feracissima, in qua nullum animal noxium vivere creditur. De ea sic Virg. Aen. 6. *Creta Iovis magni medio iacet insula ponto, Mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae, Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.* Dicta putatur Creta quasi Cureta ab habitantibus Curetibus, unde postea per syncopen Creta dicta est.

v. 824. *Gortyne* sive Gortys, sive Gorthyna, nae, oppidum est mediterraneum Cretae insulae ad Lethaeum fluvium teste Plinio lib. 4. c. 12. Ibi fuit labyrinthus ille Minois celeberrimus.

Ibid. *Sterilisque Tricce.* Trica aut potius Tricca per duplex c Stephano est urbs Thessaliae, id nominis sortita a Tricca Penei filia. Plin. vero lib. 3. cap. 10. Tricam et Apinam oppida quondam fuisse Apuliae scribit. Haec autem Diomedes tanta ignominia evertit, ut in proverbii

An frequens ruscis levibus Methone,
Quae sub Oetaeis latebrosa silvis
Misit infestos Troiae ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris?

---

ludibrium transierint. Quoties enim rem futilem ac nugatoriam ostendere volumus, Tricas et Apinas nominamus.

v. 825. *Frequens ruscis levibus Methone.* Methone civitas littoralis est Peloponnesi in Magnesiae regione: quam cum obsideret Philippus rex Macedonum, Alex. M. pater, oculum amisit ictu sagittae etc. Hodie vocatur Modona et est via peregrinantium Hierosolymam a Venetiis. Vocatur h. l. frequens *ruscis levibus* i. e. myrto sylvestri. Est enim ruscus planta, quae et myrtus sylvestris, arcendis muribus aptissimus. Graecis ὀξυμυρσίνη est et μυρσίνη ἀγρία h. e. myrtus sylvestris, germinat asparagi modo: Unde Virgil. lib. 2. Georgic. *Aspera rusci vimina per sylvam.*

v. 826. *Oetaeis sylvis* i. e. Thessalis. Nam Oeta mons est in finibus Thessaliae, Doridi a tergo incumbens, morte et sepulchro Herculis nobilitatus, unde factum est nomen Tragoediae Senecae, quae Hercules Oetaeus inscribitur. Plin. lib. 25. c. 5. eam partem, quae a Parnasso usque ad Pindum in Thermopylas vergit, proprie Oetam vocari testatur.

v. 829. *Olenos tectis habitata.* Plures fuerunt urbes Oleni nomine dictae. Nam fuit oppidum Achaiae propriae non procul a Patris et Araxo promontorio, ubi Iovem Amaltheae caprae lacte, quae inde Olenia dicta est, educatum ferunt. Fuit alia Olenus Boeotiae urbs, sic dicta ab Oleno, Vulcani filio. Fuit alia in Aetolia, iuxta quam fuit aper Caledonius. Fuit denique urbs Cretae, in alto loco sita, ultra Hierapytnam, quam hoc loco innuere Seneca videtur.

Virginis Pleuron inimica Divae?
An maris lati sinuosa Troezen?
Pelion regnum Protei superbum,
Tertius coelo gradus? hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Iam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Carystos?

---

v. 830. *Virginis Pleuron inimica Divae.* Pleuros sive Pleuron Stephano est Aetoliae urbs, Meleagri patria. Ea dicitur h. l. *inimica divae* i. e. Dianae, cuius ira aprum Calydoniis immisit.

v. 831. *An maris lati sinuosa Troezen.* Troezen oppidum fuit Peloponnesi ad sinum Argolicum, Pitthei olim regia et Thesei patria, qui inde a poëtis Troezenius appellatur.

v. 832. *Pelion regnum Protei superbum.* Pelion Stephano urbs est Thessaliae. Proteus enim in Thessalia et Thracia regnavit quemadmodum in Aegypto.

v. 834. *Montis exesi.* Chironis antrum describens Papinius ait: *Longaevum Chirona petit, domus ardua montem Perforat, et certo suspendit Pelion arcu, Pars exhausta manu, partem sua ruperat aetas.*

v. 837. *Tunc quoque ingentes acuebat iras.* Papinius in Achilleide de eadem re. *Elicit extremo Chelym, et solantia curas Fila movet, leviterque expertas pollice chordas Dat puero, canit ille libens ingentia laudum semina.* Ingentes iras dicit propter iracundiam Achillis, unde Ilias Homeri inchoatur.

v. 839. *Ferax varii lapidis Carystos.* Caryste, es, et Carystos, sti, insula una ex Cycladibus sita in Euboico

An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Echidnae?

---

mari, varii marmoris ferax. Excidebantur enim ibi columnae marmoreae, quae a loco etiam Carystiae appellabantur. Ovidius ex voce Carystos formavit et vocem Carystaeus cum ita scribit Fast. 3. *Quaque Carystaeis frangitur unda vadis.* Porro Carystos teste Plinio, prius Chalcodoris dicta est, si Ephoro credimus: si Callidemo apud Solinum Chalcis. Sed eas separat poëta noster hoc choro: subiungit enim *semper Euripo properante Chalcis.*

v. 841. *Euripo properante Chalcis.* Chalcis Euboeae urbs est praecipua, ab Aulide Boeotiae portu, exiguo Euripo divisa, vetus Atheniensium colonia, ita dicta, si Stephano credimus a Chalcide filia Asopi, aut certe, quod aerariae fabricae ibi primum fuerint repertae. Hinc Lucanus lib. 5. *Chalcides Euboïcae vana spe coepta parabas.* Olim Stymphalus dicta fuit et Hypochalcis, quod sub Chalcide monte sita sit.

Ibid. *Euripo properante.* Euripus fretum est angustum inter Aulidem Boeotiae portum et Euboeam insulam, quod unius diei et noctis spatio septies recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis secum rapiat, de quo videndus est Mela lib. 2.

v. 842. *Quolibet vento faciles Echidnae.* Echidna nomen serpentis, latine dicitur Hydra, ac ea potissimum intelligitur, quae ab Hercule interfecta est; de qua Ovid. 3. Fast. *Sanguine Centauri Lernaeae sanguis echidnae Mistus ad auxilium tempora nulla dabat.* Sed h. l. vox Echidnae idem notat, quod Echinades, quae sunt exiguae insulae Acarnaniae adhaerentes, ex adverso ostii Acheloi fluvii natae ex arena et limo impetu Acheloi convecto; de quo vid. Plin. lib. 2. cap. 85.

Ac carens nunquam Gonoessa vento?
Quaeque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusin?
Numquid Aiacis Salamina veram?

---

v. 843. *Gonoessa vento.* Gonoessam Homerus alto loco sitam scribit: Ideo noster ait, *carens nunquam Gonoessa vento.*

v. 844. *Enispe.* Enispe urbs putatur Arcadiae, quam quidam Cletoriae, alii Phocidi annumerant. Homerus vocat ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην.

v. 845. *Peparethos.* Insula una Cycladum cum urbe eiusdem nominis.

v. 846. *Eleusis* et Eleusin modo Leptine vocatur civitas Atticae regionis non procul ab Athenis, in qua regnavit Eleusius, qui Cererem filiam quaerentem liberalissime hospitio suscepit. Ob cuius memoriam Eleusii Cereri solennia sacra instituerunt, quae Thesmophoria dicebantur. De quo ita Ovid. Metam. 7. *Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis;* quia et Ceres ipsa ab huius oppidi nomine Eleusina cognominatur. Unde Virg. Georg. 1. v. 163. *Tarduque Eleusinae volventia plaustra.*

v. 847. *Aiacis Salamina veram.* Salamin sive Salamis, hodie Coluri insula est in Euboico mari contra Athenas sita, in qua urbs est eiusdem nominis, ubi Telamon Aiacis et Teucri pater regnavit. Eam Aiacis dicit Seneca, quia Aiax Telamonius in illa urbe natus erat, ut Plutarch. in Parallelis memorat. Veri autem Aiacis dicit vel quia eius nomini exitus vitae belle respondit: vel recti et veracis, minimeque mentiri soliti, qualem Aiacem Telamonium ubique pingit Homerus.

Aut fera notam Calydona saeva?
Quasque profundit subiturus aequor
Segnibus terras Titaressos undis,
Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?
Pharin? an Pisam, Iovis et coronis

---

v. 848. *Calydona.* Calydon Aetolorum civitas fuit, regis Oenei patris Meleagri, distans a mari septem millium quingentorum passuum spatio, Eveno fluvio interfluente divisa; de quo ita Ovid. 8. Met. *Et Meleagraeam maculatus sanguine Nessi Evenos Calydona secat.*

v. 850. *Titaressos.* Fluvius Thessaliae, qui in Titaro monte, qui Olympo vicinus est, ortum habens, decurrensque versus plagam Tempe contingentem in Peneum influit: ob quorum tractuum crassitudinem illi non admiscetur, sed in modum olei superfluit. Plinius Euroton vocat lib. 4. c. 8.

v. 851. *Bessan.* Bessa civitas est Phocidis. Quamquam et alia est Locrorum urbs sic dicta ab humida loci natura.

Ibid. *Scarphen.* Scarphe urbs Euboeae.

Ibid. *Pylon an senilem.* Pylos agri fuit Messenici oppidum in tractu occidentali Peloponnesi, Nestore alumno, qui inde Pylius cognominatus est, nobilitatum. Sunt praeterea aliae duae eiusdem nominis urbes in Peloponneso.

v. 852. *Pharin.* Pharis urbs est Laconiae. Cuius Pharitae vel Phariatae dicuntur.

Ibid. *Pisam Iovis.* Pisa fuit fons Olympiae et regio, in qua constructum est Iovis templum, ubi Olympiacum certamen celebrabatur. Fuit et eiusdem nominis civitas in Elide, Peloponnesi regione, iuxta Alpheum fluvium circa quam quinto quoque anno celebrabantur certamina Iovi sacra, quae Olympia dicebantur. Atque hanc in-

Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, et donet cuicunque terrae:
Dum luem tantam Troiae atque Achivis
Quae tulit, Sparte procul absit: absit
Argos, et saevi Pelopis Mycenae;
Neritos parva brevior Zacyntho,

---

nuere et indigitare videtur h. l. Senea. Alias Bisae, arum, est Tusciae oppidum inter Arnum et Anserem amnes, a Pisaeis, Elidis populis, conditum.

Ibid. *Coronis Elida claram.* Elis oppidum fuit in occidentali tractu Peloponnesi, non procul ab Olympia, a qua et circumiecta regio Elis appellatur, Alpheo fluvio irrigata. Hinc equae Eliades, quae apud Elidem certamine curuli palmas merentur, ut annotavit Servius in illud Virg. Georg. 1, 59: *Eliadum palmas Epirus equarum.*

v. 857. *Sparte procul absit.* Sparten cum optat prope abesse, facit hoc odio Helenae, quae Spartana fuit. Negat igitur se Spartam proficisci velle.

v. 858. *Argos.* Vetus est et nobilis urbs Achaiae in Argolide, quod et Argos Hippium vocatum est ab equorum praestantia, quae tunc temporis claruit, unde Horat. *Aptum* dicit *equis Argos, ditesque Mycenas.*

Ibid. *Saevi Pelopis Mycenae.* Mycenae, arum, et Mycena, nae, fuit urbs Peloponnesi, quam Perseus Danaës filius exstruxit, regiuncula, in qua regnavit Agamemnon, a Mycena Nympha sic appellata. Hoc autem et proxime praecedenti versu ad Ovidii locum respexit, qui ita habet: *Argosque et Sparte, Pelopeiadesque Mycenae.*

v. 859. *Neritos.* Mons est in Ithaca insula, a quo Ulysses Neritius passim cognominatur a poetis. Zacynthus autem insula Ionii maris parva, occidentali Peloponnesi

Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris, Hecube, videndam
Ducet? in cuius moriere regno?

---

lateri adiacens, urbemque habens eiusdem nominis, a Zacyntho Dardani filio, qui in ea imperavit, dicta. De ea sic Virg. Aen. lib. 3. 270:

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.

v. 860. *Nocens saxis Ithace dolosis.* Ithaca insula est in mari Ionio ante Epirum, Ulyssis patria, frequentibus scopulis aspera. In ea urbs est eiusdem nominis, ita ut antea indicatum est, mons Neritos, a quo tota insula interdum est dicta Neritos. Saxosam autem et asperam esse Ithacam Homericus Telemachus affirmat. Et Cic. 2. de oratore sic scribit: Ithacam illam in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. Hodie vocatur *val de Compagno.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Continet colloquium Helenae et Andromaches potissimum. In quo cum Helena primum ipsa se incusasset, quod tantorum malorum causa et Troianis et Graecis extitisset, queri postea etiam Andromacha miserabilis suae fortunae conditionem incipit, quod regia stirpe orta, et tanti herois, quantus Hector fuit, uxor nunc Ulyssi infensissimo hosti captiva abducenda tradatur.

HELENA, ANDROMACHA, HECUBA, POLYXENA, muta persona.

HEL. Quicunque hymen funestus, illaetabilis,
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus; eversis quoque

---

v. 864. *Hymen.* Hymen et Hymenaeus apud veteres quid fuerit vide in explicatione Medeae Senecae p. 34.

v. 866. *Est auspice Helena dignus.* Romanos constat nihil neque privatim neque publice inauspicato gessisse, quo ex more, inquit Val. Max, nuptiis auspices interponuntur. Hinc illud Lucani de nuptiis Catonis et Martiae. Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto. Hunc morem Graecis quoque familiarem fuisse praeter Senecam h. l. docet Claudianus his verbis: *hac auspice taedae Oedipodem matri*

Nocere cogor Phrygibus. Ego Pyrrhi toros
Narrare falsos iubeor; ego cultus dare,
Habitusque Graios; arte capietur mea,
Meaque fraude concidet Paridis soror.
Fallatur; ipsi levius hoc equidem reor.
Optanda mors est, sine metu mortis mori.

---

iunxere Thyesten. Porro de hac re copiose et eleganter Cardinalis Gabriel Paleottus lib. de spuriis et nothis cap. 4. scripsit.

Ibid. *Helena.* Stasinus, Pausanias et Hyginus Helenae matrem Nemesin vocant. Homerus, Theocritus, Euripides, Theon Arati Scholiastes et Ovidius Ledam nominant, quae contraria esse nemo existimare debet. Etenim Bassus in Germanicum, Lactant. lib. 1. de fals. relig. et Crates tradiderunt Ledam mortuam Nemesis nomen assumpsisse. Apollodorus lib. 3. Biblioth. credit Nemesin a Iove adamatam, cum periculi evitandi causa in anserem se mutasset a Iove, qui cycni formam induerat, compressam, et eo compressu gravidam decume post mense ovum peperisse, quod Ledae custodiendum tradiderit: inde natam Helenam quae quia a Leda educabatur pro sua, Ledae filia dicta fuit. Clearchus in amatoriis teste Athenaeo lib. 2. cap. 17. prodidit, Helenam in caenaculis, quae *ὠὰ* dicebantur, educatam fuisse: unde nata sit fabula, Helenam ovo prognatam.

v. 872. *Optanda mors est, sine metu mortis mori.* Huc spectat, quod de Iulio Caesare his verbis traditur a Suetonio lib. 1. *Illud plane inter omnes constitit, talem ei mortem paene ex sententia contigisse. Nam et quondam, cum apud Xenophontem legisset, Cyrum ultima valetudine mandasse quaedam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremque optaverat, et pridie quam occidere-*

Quid iussa cessas agere? ad auctores redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniae domus
Generosa virgo, melior afflictos Deus
Respicere coepit; teque felici parat
Dotare thalamo. Tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.
Nam te Pelasgae maximum gentis decus
Ad sancta lecti iura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi Deae,

---

tur in sermone super coenam nato apud M. Lepidum, quisnam esset vitae finis commodissimus, repentinum inopinatumque protulerat.

v. 873. *Ad auctores redit sceleris coacti culpa.* Ostendit hic locus: Plerumque ita evenire in rebus mortalium, ut mali consilii sive etiam calamitatis auctor malo suo consilio et calamitate omnium primo implicetur et opprimatur. Unde hic ipse noster Seneca in Herc. Fur. 3. 2. *Quod quisque facit patitur, auctorem scelus Repetit, suoque premitur exemplo nocens.* Id. in Thyeste 2. 1. *Saepe in magistrum scelera redierunt sua.* Hesiodus ita hoc extulit lib. 1. ἔργ. Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων Ἡ δὲ κακὴ etc. Cic. 2. Tusc. ex veteri Poëta: *Qui alteri exitium* etc. Claud. lib. 1. Eutrop. *Quam bene dispositum terris, ut fructus iniqui Pignus consilii primis auctoribus instet. Sic multos fluvio vates arente per annos Hospite qui caeso monuit placare Tonantem Inventas primum Busiridis imbuit aras, Et cecidit saevi, qui dixerat, hostia sacri. Sic opifex tauri tormentorumque repertis, Qui funesta novo fabricaverat aera dolori, Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno, Sensit opus docuitque suum* etc.

v. 882. *Te magna Tethys.* De Tethide dictum est ante in hac ipsa Trag.

Placidumque numen aequoris tumidi Thetis
Suam vocabunt. Te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.
Depone cultus squallidos, festos cape.
Dedisce captam; deprime horrentes comas,
Crinemque docta patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet; profuit multis capi.
ANDR. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere? flagrant strata passim Pergama.
O coniugale tempus, an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Utriusque populi, cernis hos tumulos ducum,
Et nuda totis ossa quae passim iacent
Inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti; perge, thalamos appara.
Taedis quid opus est? quidve solemni face?
Quid igne? thalamis Troia praelucet novis.

---

v. 885. *Peleus nurum.* Peleus Aeaci est et Aeginae filius, qui ex Tethide genuit Achillem, qui ex eo Pelides dicitur.

Ibid. *Nereus nurum.* Nereus Deus maris Oceani et Tethyos filius, qui ex Doride uxore eademque sorore maximam Nympharum turbam suscepit, quae a nomine patris Nereides appellantur. Hunc Orpheus in Argon. deorum antiquissimum appellat, unde et grandaevus dicitur a Virg. Georg. 4. 394. Figurate accipitur pro mari. Ex quo est illud Persei Sat. 1. *Et qui caeruleum dirimebat Nerea Delphin.*

Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia:
Celebrate digne; planctus et gemitus sonent.
Hel. Ratione quamvis careat, et flecti neget
Magnus dolor, sociosque nonnunquam sui
Moeroris ipsos oderit; causam tamen
Possum tueri iudice infesto meam,
Graviora passa. Luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: solus occulte Paris
Lugendus Helenae est. Durum et invisum et grave est,
Servitia ferre; patior hoc olim iugum
Annis decem captiva. Prostratum Ilium est,
Versi penates; perdere est patriam grave,
Gravius timere. Vos levat tanti mali
Comitatus; in me victus et victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit, me meus traxit statim
Sine sorte dominus. Causa bellorum fui,
Tantaeque Teucris cladis; hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta;
Sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui,
Deditque donum iudici victrix Dea:

---

v. 906. *Ratione quamvis careat.* Plutarch. in orat. consolatoria auctor est, omnium animi perturbationum gravissimum esse dolorem, eumque tradit Arist. lib. 6. Eth. c. 5. iudicium rectamque rationem ad res gerendas corrumpere atque pervertere. Estque huius loci Senecae eadem ratio, quae et alterius, ubi ait: Levis est dolor, qui consilium capere potest. Quod autem dolore, qui e magnis calamitatibus capitur, ita vehementer affici soleant homines, ut mente interdum moveantur, exemplum insigne e Plutarcho affert Muretus var. lect. 2. c. 10.

Ignosce Paridi. Iudicem iratum mea
Habitura causa est. Ista Menelaum manent
Arbitria; nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte. Vix lacrimas queo
Retinere. ANDR. Quantum est, Helena quod lacrimat, malum!
Cur lacrimat autem? fare, quos Ithacus dolos,
Quae scelera nectat. Utrum ab Idaeis iugis
Iactanda virgo est? arcis an celsae edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat
Altum vadosos Sigeon spectans sinus?
Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubaeque Pyrrhus; fare, quam poenam pares.
Exprome, et unum hoc deme nostris cladibus,
Falli. Paratas perpeti mortem vides.
HEL. Utinam iuberet me quoque interpres Deûm
Abrumpere ense lucis invisae moras,
Vel Achillis ante busta furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda; quam tradi sibi,

---

v. 935. *Sigeon.* Sigeon sive Sigaeum promontorium est et oppidum Troadis Achillis sepulchro nobilitatum. Dictum *σιγεῖον*, ut quidam volunt, *ἀπὸ τοῦ σιγᾶν* h. e. a silendo, eo quod Hercules praemio suo a Laomedonte fraudatus, simulato discessu ibi se occultaverit, indeque magno silentio reversus urbem repente adortus ceperit. Alii per antiphrasin Sigaeum dictum putant, quod nullum ibi unquam sit silentium aquis se perpetuo magno cum murmure saxis illidentibus.

Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, iubet.
ANDR. Vide, ut animus ingens laetus audierit necem.
Cultus decoros regiae vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet.
Labefacta mens succubuit; assurge, alleva
Animum, et cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat; revixit. Prima mors miseros fugit.
HEC. Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?
Adhuc rebellat? o manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem. Sola nunc haec est super,
Votum, comes, levamen, afflictae quies.

---

v. 947. *Campo Elysio.* Elysii campi sunt in Boeotia, in agro Thebano, teste Lycophrone. Plutarch. eos collocat in insulis Britannicis ad Oceanum, cui astipulatur Homerus. Alii volunt eos esse in Arcadia, nonnulli etiam in Hispania.

v. 948. *Vide ut animus ingens.* Ita in Hecuba Euripidis Act. 1. ait Polyxena: *Καὶ σε μὲν μάτερ δύστανε κλαίω πανοδύρτοις θρήνοις, τὸν ἐμὸν δὲ βίον λώβαν, λύμαν τ᾿οὐ μετακλάιομαι, ἀλλὰ θανεῖν μοι ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν.* Te *quidem misera mater omnigeno luctu defleo, Meam autem vitam, exitium', calamitatem Non lamentor; quum mihi mortis obeundae casus vita potior contigerit.*

Haec totus Hecubae foetus. Hac sola vocor
Iam voce mater; dura et infelix, age,
Elabere anima. Denique hoc unum mihi
Remitte funus. Irrigat fletus genas,
Imberque victo subitus e vultu cadit.
Laetare, gaude, nata; quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
ANDR. Nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret.
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, si tuam sortem scias.
ANDR. An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?
HEL. Versata dominos urna captivis dedit.
ANDR. Cui famula tradar, ede; quem dominum voco?
HEL. Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.
ANDR. Cassandra felix! quam furor sorte eximit,
Phoebusque. HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
HEL. Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac dirus, et iniquae ferus
Sortitor urnae regibus reges dedit?

---

v. 969. *E vultu cadit.* Hecuba apud Eurip. dicto loco: Νῦν τε γὰρ λέγων κακὰ τέγγω τόδ' ὄμμα. Et apud Ennium in Andromacha. *Vide hinc, meae inquam lacrimae guttatim cadunt.*

v. 979. *Scyrius Iuvenis.* Pyrrhus. Est enim Scyros insula contra Magnesiam in mari Aegaeo, una ex Cycladibus, Lycomedis regis patria: in qua Achilles puellari habitu educatus Deidamiam regis filiam vitiavit, et ex ea Pyrrhum suscepit, quae ab hac insula et ipsa Scyrias est appellata.

Quis tam sinister dividit captas Deus?
Quis arbiter crudelis et miseris gravis
Eligere dominos nescit, et saeva manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Ulyssen vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus; domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? sterilis et saevis fretis
Inclusa tellus non capit tumulos meos.
Duc, duc, Ulysse; nil moror; dominum sequor.
Me mea sequentur fata. Non pelago quies
Tranquilla veniet, saeviet ventis mare,
Et bella, et ignis, et mea, et Priami mala.
Dumque ista veniunt, interim hoc poenae loco est:

---

v. 990. *Armis Achillis.* Quae Achilles iudicio obtinuerat.

v. 993. *Hectoris spolium feret.* Spolium est, quod corpori haerens, et corpus quodammodo vestiens, corpori detrahitur. Quo pertinet illud huiusdem nostri Senecae in Herc. Fur. Illic, quae viduis gentibus imperat Aurato religans Ilia baltheo Detraxit spolium nobile corpori. Ulpian. lib. 6. D. de bonis damnatorum spolia definit, quibus quis indutus est cum ad supplicium ducitur. Ideo Hecuba se, quae Hectorem utero clausum gestaverat, Hectoris spolium vocat.

v. 1000. *Interim haec poena in loco est.* Delrio testatur: omnes libros impressos ita habere, scriptos vero *interim hoc poenae in loco est.* Ipse reposuisse se addit aliquando, cuius ne nunc quidem sententiae ipsum poeniteat. *Interim hoc poenae loco est.* Mentem autem Senecae hanc esse vult: Interim dum ista mala eos manent, et cervicibus

Sortem occupavi, praemium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age,
Reclude ferro pectus, et Achillis tui
Coniunge soceros. Perge, mactator senum;
Et hic decet te sanguis: abreptam trahe.
Maculate superos caede funesta Deos,
Maculate Manes. Quid precer vobis? precor
His digna sacris aequora. Hoc classi accidat,
Toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat,
Meae precabor, cum vehar, quidquid rati.

---

eorum, quibus iamiam casura imminent, ipsa haec mali exspectatio poenae loco est. Nam qui in continuo metu versatur infortunii, gravius nonnunquam cruciatur et affligitur vehementius, quam qui malum ipsum patitur. Metus enim et spes cuncta in maius efferunt, suntque tyranni mentis nostrae crudelissimi: qui vero nec metu nec spe urgeatur, felicissimus putandus est. Ideo Poëtae Tantalum aeterno metu capiti impendentis saxi cruciari finxerunt: ideo vana carpendorum pomorum et aquarum sorbendarum spe ludi tradiderunt. Confirmat hoc de metu mortis peiore quam ipsa morte sententiam Ovidius, cum ita canit: *Morsque minus poenae quam mora mortis habet.* Huc alludit noster in Herc. Oetaeo: *Quicunque misero sorte dissuadet mori Crudelis ille est, interim poena est mori.* Item in Thyeste: *Peior est bello timor ipse belli.*

v. 1004. *Reclude ferro pectus.* Ita et Hecuba apud Euripidem mori exoptat, his verbis: ἡμᾶς δ' ἄγοντες πρὸς πυρὰν Ἀχιλλέως Κεντεῖτε, μὴ φείδεσθε. Et apud Ennium ait eadem: *Miserate anuis date ferrum, quo me anima privem.*

CHORUS TROADUM.

Chorus occasione sumta ab Helenae dicto supra vers. 916. *vos levat tanti mali comitatus*, solatur se communi malo, quasi *solamen miseris socios habuisse doloris;* quod tamen solatium ipsis sortito disiunctis ablatum fore.

Dulce moerenti populus dolentum,
Dulçe lamentis resonare gentes.
Lentius luctus lacrimaeque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.
Semper, ah, semper dolor est malignus;
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse poenae.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
Nemo se credet miserum, licet sit.
Tolle felices; removeto multo
Divites auro; removeto centum

---

v. 1012. *Dulce moerenti populus dolentum.* Ostendit hic locus societatem aliorum facere calamitates leviores. Unde illud Cic. lib. 6. Epist. 2. F. *Misera quidem est illa consolatio, sed tamen necessaria: Nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis.*

v. 1017. *Gaudet in multos.* Tractat eleganter et copiose vulgatissimum illud: Solatium est miseris socium habere in poenis. Item: Mala communia levius tangunt: sumpta occasione eius, quod Helena dixerat. Vos levat tanti mali comitatus, in me victus et victor furit.

v. 1023. *Removeto centum.* Simili in re hunc numerum Horatius posuit: *Te greges centum Siculaeque circum Mugiunt vaccae*, et Virgilius de Galeso: *Terram centum vertebat aratris.*

Rura qui scindunt opulenta bubus;
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis
Neminem laetos habuisse vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos.
Aequior casum tulit, et procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque litus
Naufraga spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cum gregis ductor radiante villo
Aureo fratrem simul et sororem
Sustulit tergo, medioque iactum
Fecit in ponto. Tenuit querelas

---

v. 1030. *Rate singulari*, unica et sola, vel, ut Plautus loquitur, singula, vel Turpilius, singularia.

v. 1036. *Fluctibus Corus.* Corus ventus est spirans ab occasu solstitiali, de quo videndus Plin. lib. 2. cap. 27. et Lucan. lib. 2. Idem et Caurus quandoque appellatur propter cognationem o litterae cum au diphthongo.

v. 1037. *Questus est Hellen.* Helle fuit Athamantis Thebarum regis et Nepheles filia, quae una cum Phryxo fratre, novercales insidias metuens, cum accepto a patre ariete aureo Pontum vellet traiicere, magnitudine periculi conterrita in mare decidit, eique nomen fecit, quod et hodie ab eius nomine Hellespontum vocant eruditi. Ovid. Metamorph. lib. 11.

Et vir et Pyrrha, mare cum viderent,
Et nihil praeter mare cum viderent,
Unici terris homines relicti.
Solvet hunc coetum lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tuba iussi dare vela nautae,
Cum simul ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque litus.

---

v. 1042. *Et vir et Pyrrha.* Pyrrha Epimethei filia auctore Proclo in Hesiodicis enarrationibus, Deucalionis uxor, quae post diluvium una cum marito iactis post tergum lapidibus humanum genus fertur reparasse. vid. propter Ovid. l. 1. Metam. quemadmodum etiam de isto diluvio multa Natalis comes lib. 8. Mytholog. c. 17.

v. 1047. *Tuba.* Imitatur hoc loco Seneca noster Euripidem, qui in Rheso: *πόνους δ' ἔχοντας χρὴ μένειν τυρσηνικῆς Σάλπιγγος αὐδήν:* Et in Heraclidis: *Ἐσήμην' ὄρθιον τυρσηνικῇ σάλπιγγι.* Sophoclis tamen et Euripidis Scholiastae tradiderunt, neque Graecos neque Barbaros Troiani belli tempore tuba usos fuisse: quibus tamen Euripides et Seneca, ut videtis, alii etiam poëtae repugnant.

v. 1049. *Fugientque litus.* Delrio testatur unum MS. habere *fugiet* non *fugient.* Atque hanc lectionem videtur idem probare et praeferre alteri. Nam, inquit, e portu solventibus ac altum petentibus litus recedere; contra ex alto portui appropinquantibus idem accedere videtur. Unde Virgil. 3. Aen. *Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.* Lucret. lib. 4. de rerum natura: *Qua vehimur navi fertur, cum stare videtur, Quae manet in statione, ea praeter creditur ire, Et fugere ad puppim colles campique videntur, Quos agimus praeter navim, veloque volamus.* Seneca hic ipse noster alibi: terra procul Quantum recedunt vela fugientes notat.

Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet?
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque nato,
Troia qua iaceat regione monstrans
Dicet, et longe digito notabit;
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in coelum, nebulaeque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

In actu V exponit nuntius seriem sumpti de utroque tam Astyanacte, quam Polyxena supplicii. Ac Astyanactem quidem tradit animo magno ac intrepido necessitatem mortis a proceribus Graecorum sibi impositam subiisse, ac e turri, in quam ex ea praecipitandus a Graecis deductus erat, se ipsum, non exspectata hostium violentia, praecipitem dedisse: Polyxenam postea a Pyrrho ferrum in corpus eius adigente Troianis iuxta ac Graecis miserantibus interfectam esse.

NUNTIUS, ANDROMACHA, HECUBA.

Nunt. O dira fata, saeva, miseranda, horrida,
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis? quid prius referens gemam?
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
Hec. Quoscunque luctus fleveris, flebis meos,
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.

---

v. 1064. *Sua quemque tantum.* Videtur haec desumpsisse Seneca ex Sophocle, cuius hi versus sunt in Oedipo Tyranno v. 60. *Καὶ νοσοῦντες, ὡς ἐγὼ, οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ· τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν᾽ ἄλγος εἰς ἕν᾽ ἔρχεται μόνον κατ᾽ αὐτὸν, κοὐδέν᾽ ἄλλον· ἡ δ᾽ ἐμὴ ψυχὴ πόλιν τε κ᾽αμὲ καὶ σ᾽ ὁμοῦ στένει.*

Mihi cuncta pereunt; quisquis est, Hecubae est, miser.
NUNT. Mactata virgo est; missus e muris puer.
Sed uterque letum mente generosa tulit.
ANDR. Expone seriem caedis, et duplex nefas
Prosequere. Gaudet magnus aerumnas dolor
Tractare totas; ede, et enarra omnia.
NUNT. Est una magna turris e Troia super,
Assueta Priamo; cuius e fastigio
Summisque pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies. Turre in hac blando sinu
Fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Haec nota quondam turris, et muri decus,
Nunc saeva cautes, undique affusa ducum
Plebisque turba cingitur. Totum coit
Ratibus relictis vulgus. His collis procul
Aciem patenti liberam praebet loco;
His alta rupes, cuius e cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille praerupti petit,
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens

---

v. 1067. *Uterque letum.* Quod eo magis mirandum videtur in puero propter aetatem, in virgine autem propter sexum imbecilliorem.

v. 1072. *Cuius e fastigio.* De turri Scaeae portae loquitur, e qua Priamus una cum senioribus utrumque exercitum contemplatur teste Hom. Il. γ.

Muri cadentis pressit. Atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem; nec gradu segni puer
Ad alta pergit moenia. Ut summa stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit,
Intrepidus animo. Qualis ingentis ferae
Parvus tenerque foetus, et nondum potens
Saevire dente, iam tamen tollit minas,
Morsusque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextra prensus hostili puer
Ferox, superne moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulyssen. Non flet e turba omnium,
Qui fletur: ac dum verba fatidici et preces
Concipit Ulysses vatis, et saevos ciet
Ad sacra superos, sponte desiluit sua
In media Priami regna.
ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha

---

v. 1107. *Quis Colchus.* Quis omnium, vult dicere, tam durus, asper et saevus fuit, qui hoc tantum tam inhumanum et crudele facinus in se potuit admittere, ut in innocentem et tenerum usque adeo saeviret, perinde ac si in Colchide natus esset. Est autem Colchis regio Asiae iuxta Pontum, regnum Aeetae regis et Medeae patria, Corace monte, qui est Tauri pars, a septentrione, ab ortu Iberia, a meridie Phaside, ab occidente Euxino Ponto clausa. Huc ferunt Iasonem cum Argonautis navigasse, Medeaeque artibus adiutum, aureum vellus inde retulisse. Est autem regio venenorum feracissima, quae res videtur locum fecisse fabulae, quam de Medeae veneficiis comminiscuntur

ommisit? aut quae Caspium tangens mare

---

poëtae. Unde illud Horat. lib. 2. Carm. *Ille et venena Colchica, Et quicquid usquam concipitur nefas,* tractavit.

Ibid. *Sedis incertae Scytha.* Scythia regio est septentrionalis latissima in duas divisa partes Europaeam et Asiaticam: quarum Europaea a Tanaidis ripis per Maeotidos et Ponti Euxini litora usque ad Istri ostia expanditur, Asiatica a limitibus oppositorum litorum in orientem procurrit, Oceano a septentrione, a meridie Tauro terminata. Utriusque variae sunt gentes ad bella magis, quam ad ullum humanitatis studium appositae. De harum origine ac nominibus multa apud Plinium, Ptolemaeum, Herodotum et alios. Antiquiores ita eas diviserunt, ut qui supra Euxinum, Istrum et Adriam incolerent, eos omnes Hyperboreos, Sauromatas et Arimaspos appellarent; qui trans mare Hyrcanum, Sacas et Massagetas. Vicinis inter se fines nulli. Neque enim agrum exercent, nec domus eis ulla aut tectum aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus et propter incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus imbrium hyemisque causa corio tectis pro domibus utuntur. Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius. Quippe sine munimento pecora et armenta habentibus nihil salvum futurum erat, si furari liceret. Aurum et argentum perinde aspernantur ac reliqui mortales appetunt. Lacte ac melle vescuntur. Lanae iis usus ac vestium ignotus. Dicta est autem Scythia (ut est auctor Herodot. lib. 4.) a Scythe quodam Herculis ex muliere semivipera filio, fratre Geloni et Agathyrsi, qui primus arcus sagittarumque usum creditur invenisse: quibus Scythae semper plurimum valuerunt.

v. 1108. *Caspium tangens mare.* Caspium mare inter Caspios et Hyrcanos montes est, a quibus nomen accepit et

Gens iuris expers ausa? non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri,
Nec parva gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. Quis tuos artus teget,
Tumuloque tradet? NUNT. Quos enim praeceps locus
Reliquit artus? ossa disiecta et gravi
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, et illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix; silicis impulsu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso. Iacet
Deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.

---

immensum occupat spatium. Lacus totius orbis maximus est, et salsis piscibus abundat. Ad occidentem et septentrionem Turcas, Moscos et Lituanos respicit, ad meridiem Medos habet, Orientem versus Persiae regno clauditur.

v. 1109. *Busiridis.* Busiris Neptuni filius ex Libye Epaphi filia crudelissimus Aegyptiorum tyrannus, quo tempore Danaus Argivis imperavit. Hic cum hospites omnes Iovi immolaret, ab Hercule in Aegyptum delato, cum easdem illi insidias pararet, una cum Amphidamante filio et praecone Chalbe, et ministris arae interfectus est. Hinc Virg. Georg. 3. Quis aut Eurysthea durum Aut illaudati nescit Busiridis artes.

v. 1111. *Diomedes.* Non intelligitur h. l. Aetoliae rex, qui cum reliquis Graecis ad Troiam oppugnandam profectus est, sed rex Thraciae, qui cum equos suos humana carne aleret, ab Hercule victus equis suis in pabulum est obiectus. Unde Ovid. in Ibin. *Ut qui Threïcio quondam praesepia rege Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.* Idem lib. 9. Metamorph. *Qui cum Thracis equos humano sanguine pingues* etc.

NUNT. Praeceps ut altis cecidit e muris puer,
Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas,

---

v. 1122. *Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas.* Notat h. l. Seneca vulgi inconstantiam, quod et amoris et odii vices sine iusta causa subinde permutat. Vulgo enim, ut Cicero testatur oratione pro Murena, nihil est incertius. Idem Cic. pro Milone. *Nihil est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos sensusque civium, qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam recte facta saepe fastidiunt.* Quo pertinet et illud Curtii lib. 10. c. 7. *Nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet.* Id ita se habere, non tantum ex hisce, quae modo attulimus, bonorum scriptorum testimoniis, sed etiam exemplis satis demonstrari potest. Quorum primum et maxime illustre est illud populi Iudaici; qui Filio Dei urbem Hierosolyma solenniter ingredienti omnia fausta comprecatur et nihil non honoris, viam, qua ipsi eundum erat, ramis palmarum et vestimentis suis insternendis, habet: non multo post Pontificum, qui eum mortis supplicio destinabant, odium diris et malignis acclamationibus adiuvant, et quem paulo ante benedictum, et in nomine Domini adventare praedicaverant, omni genere contumeliae affectum crucis patibulo adiudicant. In Palamedis primarii inter graecos belli duces odium incitata erat multitudo populi fraude et astutia Ulyssis, quod et eo evasit, ut de communi Graecorum sententia is e medio tolleretur, ficta, quam meruisse credebatur, mortis causa, cuius tamen in condemnando facilitatis eos paulo post poenituisse docet Virg. cum ita scribit Aen. 2. v. 82. seq. de Palamede, — — *quem falsa sub proditione Pelasgi Insontem, infando indicio, quia bella vetabat, Demisere neci* etc. Iustinus lib. 5. de Alci-

Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumque Achillis. Huius extremum latus
Rhoetea leni verberant fluctu vada.

---

biade tradit, quod cum ei paulo ante omnem opem humanam interdixissent Athenienses, tamen postea, si queant, eum in coelo posuisse cupiverint. Nec praetereundum h. l. quod lib. 27. idem Iustinus tradit de Seleuco, et subditorum ipsius erga illum mirabili inconstantia. Nam post discessum Ptolemaei Seleucus, cum adversus civitates, quae ab ipso defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate, classem naufragio amittit: nec quicquam illi ex tanto apparatu praeter nudum corpus, et spiritum et paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit; siquidem civitates, quae odio eius ad Ptolemaeum defecerant, velut diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versa, imperio se eius restituerunt. Par vulgi inconstantia in exercitu Macedonico deprehenditur apud Curt. lib. 7. c. 2. Polemon erat Amyntae frater, qui audito torqueri Philotam, cui et summe amicus et summo beneficio obstrictus erat, profugerat. Eum postea milites fugientem consecuti vinctum reducebant. Infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. Sed paulo post brevi oratione se defendenti universa concio assensa est. Lacrimae deinde omnibus manare coeperunt, adeo in contrarium repente mutatis, ut solum pro eo esset, quod maxime laeserat. Atque ex hisce tam testimoniis quam exemplis satis apparet, vulgus quam sit ingenio mobili, quam seditiosum atque discordiosum iuxta Sallust. lib de bello Iugurth.

v. 1125. *Rhoetea vada.* Rhoeteum sive Rhetus promontorium est Troiae, in quo sepultus fuit Aiax Telamonius.

Aversa cingit campus, et clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. Concursus frequens
Implevit omne litus; hi classis moras
Hac morte solvi rentur; hi stirpem hostium
Gaudent recidi. Magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque: nec Troes minus
Suum frequentant funus, et pavidi metu
Partem ruentis ultimam Troiae vident,
Cum subito thalami more praecedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, moestum caput
Demissa. Tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur; sic viro turpis suo
Reddatur Helene. Terror attonitos tenet
Utrosque populos; ipsa deiectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genae,
Magisque solito splendet extremus decor,
Ut esse Phoebi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies.
Stupet omne vulgus; et fere cuncti magis
Peritura adulant. Hos movet formae decus,

---

v. 1137. *Hermione.* Filia Martis et Veneris, uxor Cadmi, cui Vulcanus pulchrum sed pernitiosum monile formavit. Ea tandem una cum marito mutata dicitur in serpentem.

v. 1147. *Peritura adulant.* Adulor compositum est, ut ait Festus ex accedendo et alludendo. Est autem proprie canum, cum gesticulatione corporis et caudae motus nobis quasi blandiuntur. Unde Nonius: Adulatio, inquit, est blandimentum proprie canum, quod et ad homines tractum

Hos mollis aetas, hos vagae rerum vices.
Movet animus omnes fortis, et leto obvius.
Pyrrhum antecedit. Omnium mentes tremunt:
Mirantur, ac miserantur; ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Iuvenis paterni vertice in busti stetit,

---

consuetudine est. Valla lib. 5. Adulari, inquit, est inservire et captare, ut favorem emereamur, quoquo modo vel voce vel gestu, estque tractum ἀπὸ τοῦ δούλου, quod est servus. Et sane adulari servile est, non liberale et ingenuum. Unde illud Ovidii: Agmen adulantum media procedit in aula. Reperitur et adulo quod vetuste dictum pro adulari. Unde illud apud Cic. 2. Tusc. ex poeta veteri: *Tum iecore opimo farta et satiata, affatim Clangorem fundit vastum; et sublime advolans Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.* Lucret. lib. 5. v. 215. de canibus. *Longe alio pacto gannitu vocis adulant.* Ad structuram vocis quod attinet, illud tenendum est, utroque modo dici et Adulari alicui et adulari aliquem. Quorum illud *Adulari alicui* recentius est et non valde probatum Quintiliano, qui de eo ita lib. 9. c. 3. *Verborum figurae et mutatae sunt semper, et, utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pene iam quicquid loquimur, figura est.* Ut: *Huic rei invidere, non, ut omnes veteres, et Cicero praecipue, hanc rem. Et incumbere illi, non, in illum, et plenum vino, non vini, et huic non hunc adulari iam dicitur;* et mille alia; *utinamque non peiora vincant.* Exempla constructionis verbi Adulor cum accusandi casu apud Columellam et apud Cic. Columella lib. 7. cap. 12. de canibus. *Illi quoque furem adulantur.* Cic. in Pisonem: *Adulantem omnes videre te volui, vidi.* Id. 2. de Divin. *Nunquam ita adulatus sum fortunam alterius, ut me meae poeniteret.*

Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad caedem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens, nec tamen moriens adhuc
Deponit animos, cecidit, ut Achilli gravem

---

v. 1154. *Audax virago.* Virilis animi virgo: Sic in Hippolyto Dianam, sic in Agamemnone Cassandram appellat; sic Iuturna apud Virg. Aeneid. 12. Pallas apud Ovid. Metam. 6. et Statium lib. 4. sylvarum, et Bellona apud Auson. lib. 1. de Augusto, viragines dicuntur.

v. 1157. *Pyrrhus ad caedem piger.* Hoc Euripides prior his verbis expressit: ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων οἴκτῳ κόρης Τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαῤῥοάς.

v. 1161. *Cecidit.* Euripides et Ovidius solicitam faciunt, ne quid inter cadendum astantium oculis aperiretur, quod natura tectum voluit. Euripides ita: Ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐ χήμως πεσεῖν Κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών. Ovid: *Tunc quoque cura fuit partes velare pudendas Cum caderet, castique decus servare pudoris.* De aliis quoque mulieribus id traditum est ab aliis; de Lucretia Ovid. 2. Fast. de Micaea Aristodemi filia Plutarch. in lib. de claris mulieribus. De Olympiade Alexandri matre Iustinus lib. 14. et Cornelia Vestali Plinius Caecil. lib. 4. epistolarum. Notandum est idem exemplum a Suetonio laudatum in Iul. Caes. de quo ita scribit in illius vita, cap. 82. *Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, et inferiore corporis parte velata.*

Factura terram, prona et irato impetu.
Uterque flevit coetus. At timidum Phryges
Misere gemitum; clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. Non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit; obduxit statim,
Saevusque totum sanguinem tumulus bibit.
Hec. Ite, ite, Danai; petite iam tuti domos,
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis. Concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est; quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Natam, an nepotem, coniugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,
Ubicunque properas, saeva: me solam times,
Vitasque. Gladios inter ac tela et faces
Quaesita tota nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus: quam prope a Priamo steti?
Nunt. Repetite celeri maria, captivae, gradu.
Iam vela puppis laxat, et classis movet.

---

v. 1170. *Concidit virgo.* Philostratus a communi opinione caesae a Pyrrho Polyxenae discedit scribens: Polyxenam stante Troia, Achillis desiderio egressam urbe ad ipsius tumulum mortem sibi conscivisse: quod illum fecisse suspicantur eruditi non aliam ob causam, quam ut a Graecis tantae crudelitatis notam averteret.

v. 1172. *Anilis exspuam leti moram.* Ita et Prudent. Absolvas precor, optime, huius nunc animae moras. Exspuam autem dicit, perinde ut Varro περὶ ἐξαγωγῆς: *Andromedas vincta et proposita Ceto debuit patri suo homini stupidissimo in os exspuere vitam.* Ita Seneca in Thyeste: Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat.

Verzeich-

Verzeichnifs einiger empfehlungswerthen Werke, die nebst mehrern andern bey mir erschienen, und für beygesetzte Preise in allen Buchhandlungen zu haben sind.

Fr. Chr. Wilh. Vogel.

Aeschyli Tragoediae. Ad opt. libr. fidem denuo recens., integram lect. variet. notasque adj. Aug. Wellauer. 2 Vol. contin. Prometheum, Septem contra Thebas, Supplices, Agamemnon, Choëphoros, Eumenides et Persas, itemque indices. 8maj. 1823. u. 824. charta impr. 3 Rthlr. 12 gr.
— script. 4 Rthlr. 6 gr.
— membr. 5 Rthlr. 20 gr.

Hieraus besonders abgedruckt:
Prometheus vinctus 8 gr. Coëphori 9 gr.
Septem contra Thebem 9 gr. Eumenides 8 gr.
Supplices 8 gr. Persae 12 gr.
Agamemnon 12 gr.

Alcaei, Mytilenaei reliquiae. Collegit et annotatione instruxit Aug. Matthiae. 8maj. charta impr. 12 gr.
— script. 16 gr.
— membr. 20 gr.

Aristophanis aves, Graece, recensuit et illustravit Chr. Dan. Beck, 8maj. 782. 12 gr.

Aristoteles de somno et vigilia, de insomniis et de divinatione per somnum libri, ad Codd. et edd. vett. fidem cum var. lect. recens. G. A. Becker, 8maj. 1824. charta impr. 16 gr.
— script. 20 gr.
— membr. 1 Thlr.

— de arte poetica liber, Graece et Latine, ex recensione et cum animadversionibus Theoph. Christ. Harlesii, 8maj. 780. 16 gr.

Arnobii Afri, Disputationum adversus gentes libri VII. Recognovit notis priorum interpretum selectis aliorumque et suis illustravit, I. C. Orellius, 2 Vol. cum appendice, 8maj. 816.
charta impr. 6 Rthlr.
— script. 7 Rthlr. 10 gr.
— membr. 9 Rthlr. 4 gr.

Artemidori Oneirocritica ex duobus Codd. Mss. Venetis recensuit, emend. potior. animadv. integris Nic. Rigaltii et J. J. Reiskii suisque illustravit, item indices copiosos adj. J. Gothofr. Reiff, 2 Vol. 8maj. 805. in charta impress. 4 Rthlr. 12 gr.
— membran. 6 Rthl. 16 gr.

Auctores Latini minores cum notis var. ed. Tzschucke. III Tomi. 12. 1790 — 93. 1 Rthlr. 20 gr.

Hieraus besonders abgedruckt:
— Aviani Fabulae. 12. 3 gr — Phaedri Fabulae. 12. 5 gr.
— D. Catonis disticha. 12. 2 gr. — P. Syri sententiae. 12. 2 gr.
— Cornelius Nepos. 12. 16 gr. — S. Rufi breviarium. 12. 4 gr.
— Corvini libellus. 12. 4 gr. — Ampelii liber memorialis. 12. 8 gr.

Bröder, C. G., die entdeckte Rangordnung der lat. Wörter, durch eine Regel bestimmt, und aus den Schriften des Cicero f. d. ganze Syntax völlig klar gemacht u. bewiesen. Mit erläut. Anmerk. Eine neue Ciceronian. Chrestomathie. Neue Ausg. 8. 817. 12 gr.
Schreibpap. 16 gr.

Ciceronis, M. T., Tusculanarum disputationum libri V. ex recens. Fr. A. Wolfii. Tertiis curis emendatiore. Accedit diversit. Lectionis Ernestianae. 8maj. 825. Charta impr. 18 gr.
— script. 1 Rthlr. 6 gr.
— de divinatione libri duo, ex recensione et cum notis I. I. Hottingeri. 8maj. 793. Charta membr. c. fig. 1 Rthlr. 16 gr.
— — idem liber, Charta script. c. fig. 8maj. 1 Rthlr. 4 gr.
— — epistolae selectae, ad temporum ordinem dispositae. In usum scholarum edidit Aug. Matthiae. Editio 2a et aucta. 8maj. 825. 1 Rthlr. 8 gr.
— Liber de Fato, ex recensione I. H. Bremi. 8maj. 795. 8 gr.
— orationes VII. pro S. Roscio, pro lege Manilia, in Catil. IV. et pro Murena. In usum schol. edid. et illustr. Aug. Matthiae. Editio 2a et aucta. 8maj. 826. 22 gr.
Critiae Flav. Filostr. Fragmenta, quae supersunt. Cum animadvers. et indd. edidit Nic. Bachius. 8maj.
charta impr. 21 gr.
— script. 1 Rthlr.
— membr. 1 Rthlr. 12 gr.
Crustula. In usum scholae Portensis. 12maj. 826. 9 gr.
Dawes, Ricardi, Miscellanea critica, iterum edita. Curavit et appendicem adnotationis addidit Th. Burgess. Tertium edidit et praefatus est G. Chr. Harles, 8maj. 800. 1 Rthlr. 16 gr.
Doederlein, Dr. L., lat. Synonymea u. Etymologieen. 1r und 2r Theil. gr. 8. 826. 27. á 18 gr. 1 Rthlr. 12 gr.
Epicuri physica et meteorologica, duabus epistolis ejusdem comprehensa. Graeca ad fidem librorum script. et edit. emendavit atque interpretatus est I. G. Schneider, Saxo, 8maj. 813.
Charta impress. 20 Gr.
— script. 1 Rthlr.
— membr. 1 Rthlr. 12 gr.
— fragmenta librorum II. et XI. de natura, voluminibus papyraceis ex Herculano erutis reperta, probabiliter restituta, latina vers. scholiis et commentar. illustrata a Carol. Roscinio. Ex tomo II. volum. Herculan. emendatius edidit suasque adnotationes adscripsit J. C. Orellius. 8maj. 818. Charta impress. 16 gr.
— script. 1 Rthlr.
— membr. 1 Rthlr. 8 gr.
Epistolae clarorum virorum, quae inter Ciceronis epistolas exstant, in unum volumen redactae et duplici commentario illustratae a Beniamin. Weiske. 8maj. 792. 1 Rthlr.
Euripidis Cyclops, Graece, edidit et perpetua adnotatione illustravit M. I. G. Chr. Hoepfner. 8maj. 789. 1 Rthlr.
Eutropii Breviarium historiae Romanae ad libros scriptos editosque recensitum et virorum doctorum notis vel integris vel selectis inlustratum adiectis suis edid. C. H. Taschucke. 8maj. 796
Charta impr. 2 Rthlr. 8 gr.
— script. 2 Rthlr. 20 gr.
Gesenius, Dr. W., ausführliches grammatisch-kritisches Lehrgebäude d. hebräischen Sprache, mit durchgängiger Vergleichung der verwandten Dialecte. gr. 8. 817. 4 Rthlr.
— — Anecdota orientalia edidit et illustravit. Fasciculus I. carmina Samaritana continens. 4maj. 1825. 1 Rthlr. 8 gr.
Handbuch, zur Kenntniß der griech. Alterthümer, in Rücksicht auf Genealogie, Geograph., Mythol., Kunst u. Geschichte; zum Ge-



brauch f. d. Jugend beym Lesen der Alten bearbeitet. Mit 2 Charten. Neue wohlfeile Ausgabe. 8. 819. 1 Rthlr. 4 gr.

Horatii, Q. Flacci, Carmina, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustravit M. Chr. David Iani. 2 Vol. cum fig. impr. Editio secunda emendata. 8maj. 809. Charta impress. 3 Rthlr.
— script. 4 Rthlr.

— Opera, illustravit C. G. Mitscherlich. Tom. I. et II. cum 16 fig. impr. 8maj. 800. in charta impr. 6 Rthlr.
= — membr. 13 Rthlr. 8 gr.

Iagemann, C. G., Scelta delle migliori prose e posie de' più chiari Scrittori Italiani con annotazioni. Tom. II. Edizione 2a. riveduta. 8maj. 802. 2 Rthlr. 16 gr.

— Nuova vocabulario, italiano tedesco e tedesco-italiano disposta con ordine etimologico. Edd. 2a 2 Tom. gr. 8. 1816.
charta impr. 4 Rthlr. 8 gr.
— script. 6 Rthlr. 12 gr

Jamblichii Chalcidensis adhortatio ad philosophiam. Textum ad fidem Codd. Mss. recensuit et instruxit M. Theoph. Kiessling, 8maj. 813. in charta impr. 2 Rthlr.
— — script. 2 Rthlr. 8 gr.
— — membr. 3 Rthlr.

Ἰαμβλίχου χαλκηδέως περὶ βίου Πυθαγορικοῦ λόγος. Jamblichii de vita Pythagorica liber graece et latine, textum post Küsterum ad fid. Codd. Mss. recognovit Ulr. Obrecht interpretat. lat. passim mutavit, Kusteri aliorumque animadvers. adjecit suas M. Th. Kiessling. Acced. Porphyrius de vita Pythagorae et var. lect. libri περὶ τῆς κοινῆς μαθηματίκης etc. II. Part. 8maj. 815. 16.
in charta impress. 5 Rthlr.
— — script. 6 Rthlr.
— — membran. 7 Rthlr. 8 gr.

Lange, G. A., Vindiciae tragoediae Romanae. 4maj. 10 gr.

Lanzi, Luigi, über die Sculptur der Alten. Aus dem Ital. mit Anmerk. u. Zugaben des Uebersetzers, gr. 4. 816. 1 Rthlr.

Lucilli, Jun. Aetna. Recens. notasque Jos. Soaligeri, Fried. Lindenbruchii et suas adj. Fr. Jacob. 8maj. 826.
in charta impr. 1 Rthlr. 12 gr.
— — script. 2 Rthlr.
— — membr. 2 Rthlr. 16 gr.

Longos, des Sophisten, Daphnis und Chloe, griechisch und deutsch v. F. Passow, 12. 811. Druckp. 2 Rthlr.
Velinp. 2 Rthlr. 12 gr.

Lycophronis Cassandra, cum versione et commentario Guil. Canteri. Paraphrasin, notas, indicem graecum, e scholiis auctum adjecit, ac praefatus est H. G. Reichardus, 8maj. 788.
in charta impress. 1 Rthlr. 12 gr.
— — script. 2 Rthlr.

Manutii, P., commentarius in M. Tullii Ciceronis epistolas ad diversos, ad Q. fratrem et ad Brutum. 2 Vol. 8maj. 779—780.
2 Rthlr. 20 gr.

Matthiä, Aug., ausführl. griech. Grammatik. 2 Theile. 2te ganz umgearb. u. verm. Auflage. Mit dreifachen Registern. gr. 8. 1825. 27. 4 Rthlr.
(NB. Beide Theile werden nicht getrennt.)

— — griech. Schulgrammatik, 2te ganz umgearb. Aufl. gr. 8. 824.
1 Rthlr.

— — Lesebuch für die mittlern Klassen gel. Schulen, mit e. griech. deutschen Wortregister, u. beständiger Hinweisung auf seine Grammatik. Lucians Göttergespräche enthalt. gr. 8. 809. 18 gr.
— — Entwurf einer Theorie des latein. Styls. gr. 8. 826. 10 gr.
— — Griechische Formenlehre für Anfänger. gr. 8. 814. 8 gr.
Melae, Pomp., de Situ Orbis libri tres, ad plurimos codices Msstos vel denuo vel primum consultos aliorumque editiones recensiti, cum notis criticis et exegeticis, vel integris vel selectis, Hermolai Barbari, Ioach. Vadiani, Petri Io. Olivarii, Fredenandi Nonii, Pintiani, Petri Ciacconii, Andr. Schotti, Io. Oporini, Petri Io. Nunnesii, Is. Vossii, Iac. et Abr. Gronoviorum, et Iac. Perizonii, nec non Msstis Io. Georg. Graevii, Iac. Gronovii, et Petri Burmanni, conlectis praeterea et adpositis doctorum virorum Animadversionibus, additis suis a C. H. Tzschuckio, VII Vol. c. 1 Tab. aenea. 8maj. in charta impr. 20 Rthlr
— membr. 35 Rthlr.
— — Commentario C. H. Tzschuckii breviori in usum scholarum instruxit A. Weichert. 8maj. 815. 1 Rthlr. 4 gr.
Meleagri Gadareni Epigrammata, tamquam specimen novae recensionis Anthologiae graecae cum observ. criticis edidit Fr. Gräfe. 8maj. 811. in charta impr. 1 Rthlr. 4 gr,
— — script. 1 Rthlr. 8 gr.
— — membr. 1 Rthlr. 16 gr.
Mimnermi Colophonii, Carminum quae supersunt, emendavit Nic. Bachius. 8maj. Druckpap. 12 gr.
Schreibpap. 18 gr.
Velinpap. 1 Rthlr.
ΝΟΝΝΟΥ ΤΟΥ ΠΑΝΟΠΟΛΙΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΑΚΩΝ ΒΙΒΛΙΑ ΜΗ. Nonui Panopolitae Dionysiacorum libri XLVIII. Suis et aliorum coniecturis emendavit et illustravit Dr. Fr. Graefe. 2. Vol. 8maj. 819. 26. Charta impress. 7 Rthlr.
— script. 8 Rthlr. 12 gr.
— membran. 10 Rthlr. 12 gr.
Ovidii, P. N., Opera omnia, Ad. opt. libror. MSS. fidem edidit et varietate lect. indicibusque instruxit. J. Ch. Jahn. Vol. I. 8maj. charta impr. 2 Rthlr.
— script. 2 Rthlr. 12 gr.
— membr. 3 Rthlr. 8 gr.
Passow, Dr. Fr., die Lehre vom Zeitmaasse d. griech. Sprache. Fol. 826. 9 gr.
Philonis Byzantini libellus de VII orbis spectaculis, graece cum versione lat. dupl. Dionysii Salvagnii, Boefsii et Leonis Allatii, textum recognovit, notas Leonis Allatii, F. I. Bastii aliorumque et suas, aliorum scriptorum veterum de iisdem septem testimonia, fragmenta Callinici Sophistae, et Adriani Tyrii atque indicem graecitatis adjecit I. C. Orellius. Cum 1 fig. aen. 8 maj. 816.
Charta impress. 1 Rthlr. 16 gr.
— script. 2 Rthlr.
— membran. 3 Rthlr.
Pindari, Carmina cum lectionis varietate et adnotationibus iterum curavit C. G. Heyne. 3 Tomi. Editio nova correcta et ex schedis Heynianis aucta. 8maj. 817. Charta impress. 12 Rthlr.
— script. 15 Rthlr.
— membr. 20 Rthlr.

Pompeii, commentum artis Donati et eiusdem in Donati de barbarismis et metaplasmis commentariolus. Utrumque nunc primum edid. et brev. notis instruxit Fried. Lindemann. 8maj. 821.
Charta impress. 3 Rthlr. 12 gr.
— scriptor. 4 Rthlr.
— membran. 5 Rthlr.

Quintiliani, M. Fabii, de institutione oratoria libri duodecim ad codicum veterum fidem recensuit et annotatione explanavit G. L. Spalding. Vol. I—IV. 8maj. 1798—1816.
Charta impress. 9 Rthlr. 16 gr.
— membran. 16 Rthlr. 16 gr.

— — — idem lib. ex recensione Spaldingii ad usum scholarum accommodati, subiectae sunt textui notae exeget. partim novae, in fine additi indices curante G. A. B. Wolff. 2 Vol. 8maj. 1816—21. 3 Rthlr. 16 gr.

Ramshorn, L., lateinische Grammatik. gr. 8. 824. 2 Rthlr.

— — lateinische Schulgrammatik. gr. 8. 826. 1 Rthlr.

— — lat. Elementarbuch, nach einer neuen Methode, u. mit Rücksicht auf seine kl. lat. Schulgramm. bearbeitet. gr. 8. 826. 21 gr.

Reinesii, Thom., Syntagma inscriptionum antiquarum. Fol. c. fig. 682. 4 Rthlr. 8 gr.

— observationes in Suidam. Enotavit, digessit, notisque suis adspersis edid. M. Chr. Gottfr. Müller. 8maj. 819.
Charta impress. 2 Rthlr.
— scriptoria 2 Rthlr. 12 gr.
— membran. 3 Rthlr. 8 gr.

Reizii, Fr. Volg., de Prosodiae Graecae accentus inclinatione, additum est eiusdem Carmen saeculare ab inventis clarum. Editio repetita curante Fr. Aug. Wolfio, 8maj. 791. 12 gr.

Schneiders, J. Gottl. Saxo, griechisch-deutsches Handwörterbuch etc. für Schulen, ausgearbeitet von Dr. Franz Passow. Zwey Bände. 2te verb. Aufl. 826. ord. Druckpap. 6 Rthlr. 16 gr.
auf Schreibpap. 8 Rthlr. 8 gr.

Rommel, Christoph., Caucasarum regionum et gentium Straboniana descriptio, ex recentioris aevi notitiis commentario perpetuo illustrata. Accedunt excursus nonnulli de nomine Caucasi etc. De Metallis Caucasi etc. Cum Appendice textum graecum continente. 8maj. 804. 12 gr.

Scriptores VI. historiae Augusteae, Ael. Spartianus, Iul. Capitolinus, Ael. Lampridius, Vulc. Gallicanus, Trebell. Pollio, Flav. Vopiscus, cura Püttmanni. 8maj. 774. 2 Rthlr.

Senecae, L. Annaei, Medea et Trojades. Cum notis ineditis J. F. Gronovii ed. A. Matthiae. 8maj. Druckpap. 1 Rthlr. 12 gr.
Schreibpap. 2 Rthlr.
Velinpap. 2 Rthlr. 16 gr.

Seyffarth, Gust., de sonis literarum Graecarum tum genuinis tum adoptivis libri duo. Acced. commentatio de literis Graecorum subinde usitatis, dissertationes, index et tabulae duae. Cum epistola G. Hermanni. 8maj. 824. in charta impress. 5 Rthlr. 8 gr.
— — script. 6 Rthlr.

ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΟΧΙΤΟΥ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΙΣΜΟΙ ΚΑΙ ΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ ΓΝΩΜΙΚΑΙ. Theodori Metochitae miscellanea philosophica et historica. Graece. Textum e codice Cizensi descripsit, lectionisque varietatem ex aliquot aliis codicibus enota-

tam adjecit M. Godofr. Müller. Editio auctoris morte praeventa cui praefatus est M. Theoph. Kiefsling. 8maj. 821.

Charta impress. 5 Rthlr. 12 gr.
— scriptor. 6 Rthlr. 8 gr.
— membran. 7 Rthlr. 12 gr.

Theophrasti Eresii, quae supersunt opera et excerpta librorum V tomis comprehensa. Ad fidem librorum editorum et scriptorum emendavit, historiam et libros VI. de causis plantarum coniuncta opera D. H. F. Linkii, excerpta solus explicare conatus est Io. Gottl. Schneider, Saxo. 5 Vol. 8maj. 818—821.

Charta impress. 27 Rthlr. 16 gr.
— script. 35 Rthlr. 16 gr.
— membran. 46 Rthlr. 8 gr.

Tibulli, Albii, Carmina, libri tres cum libro quarto Sulpiciae et aliorum. Novis curis castigavit Chr. Heyne. Editio quarta nunc aucta notis et observationibus Ern. Car. Fr. Wunderlichii. Cum 5 fig. aen. adj. c. Suppl. Dissenii. 8maj. 817—819.

Charta impress. 5 Rthlr. 12 gr.
— script. 7 Rthlr. 16 gr.
— membr. 9 Rthlr. 20 gr.

Τζέτζου, *Ἰσαακίου καὶ Ἰωάννου*, *Σχόλια εἰς Λυκόφρονα* lectionibus edit. Sebastianae variis in Lycophronis Alexandram praemissis et recensitis. Ad supplendam et absolvendam editionem Reichardianam. E tribus Codd. Mss. Vitebergensibus unoque Cizensi nunc primum collatis et notis suis illustravit, scholiis minor, nondum editis auxit, Comment. Meursii et Potteri addidit et indicib. instruxit uberrimis M. Chr. G. Müller. 3 Vol. 8maj. 811. charta impress. 9 Rthlr. 8 gr.
— script. 12 Rthlr.
— membran. 16 Rthlr.

Tzetzae, Ivan. Historiarum var. Chiliades. Textum ad fidem duorum edd. Monasensium, recogn. brevi adnotat. et indd. instruaxit Th. Kiesling. 8maj. 825. in charta impr. 3 Rthlr.
— — inscript. 4 Rthlr.
— — membr. 5 Rthlr. 8 gr.

Wilken, Fr., Instit. ad fundamenta linguae Persicae maximam partem ex auctoribus ineditis collecta, Glossario locupletata, cum Auctario. 8maj. 804. 3 Rthlr.

Zonarae, Ioannis, et Photii Lexica graeca ex Codicibus Manuscriptis nunc primum edita, observationibus illustrata et indicibus instructa, III Tomi. (Tom. I. et II. cont. Zonarae lexicon edidit I. A. H. Tittmann, et Tom. III cont. Photii lexicon edit. Hermann.) Cum 2 Appendicibus a Schleussnero. 4maj.

charta impress. 28 Rthlr.
— script. 37 Rthlr. 8 gr.

